RHIPIPHORIDUM COLEOPTERORUM FAMILIAE

A. GERSTAECKER

1855

RHIPIPHORIDUM

COLEOPTERORUM FAMILIAE

DISPOSITIO SYSTEMATICA.

AUCTORE

A. GERSTAECKER, Dr.

MUS. REG. ZOOL. BEROL. ADJUNCTO.

ACCEDIT TABULA AERI INCISA.

BEROLINI.
IN LIBRARIA FRIDERICI NICOLAI.
MDCCCLV.

PROOEMIUM.

Rhipiphoridum familiam, facie externa non minus quam singulari vitae ratione admodum insignem, in universum tractare nulli adhuc placuit entomologo. Quae res sane mira videri non potest, quum hoc spectamus, quod pleraque hujus familiae animalia rarius tantum in natura occurrunt, quo fit, ut in collectionibus parum numerosa reperiantur. Quum vero in museo regio Berolinensi entomologico haud exiguum animalium illorum numerum repererim, dispositionem hujus familiae systematicam publicare non ingratum existimavi laborem. Quod quidem ad species attinet, vix opus aggressus, non omnes, quae adhuc cognitae sunt, me amplecti posse bene intellexi: neve de iis, quae in diversis collectionibus dispersae reperiantur, dicam, nonnullae etiam a prioribus auctoribus descriptae observationi non patuerunt. Saepius quoque speciei alicujus alter tantum sexus cognitus fuit, ita ut in generibus quoque nonnullis creandis alterius ratio haberi nulla potuerit. Nihilominus spero, ut, quam exiguus sit, usus tamen aliquis nascatur scientiae ex opusculo, quod nil nisi prodromum ad monographiam Rhipiphoridum haberi ipse velim.

Typos Fabricianos, quot in museo regio Danico asservantur, a Dom. Schiödte summa cum benevolentia communicatos, in usum hujus opusculi comparatos esse gaudeor.

Restat ut viris, qui in instituendis observationibus consilio atque re me adjuverunt, gratias quas possum maximas agam. In primis vero Ill. Klugii, studiorum entomologicorum moderatoris humanissimi, summae, qua musei regii usum mihi praebuit, liberalitatis grato animo mentionem facere officium puto. Praeterea viris entomologis Dohrn, Schiödte, Westermann, qui collectionibus benevole communicatis materiam a me tractatam multifariam augeri curaverunt, memori mente gratia persolvatur.

Berol. Calend. Decembr. MDCCCLIV.

Auctor.

RHIPIPHORIDES.

Corpus elongatum vel oblongum, in aliis subparallelum, in aliis retrorsum attenuatum.

Caput exsertum, inclinatum, plus minusve compressum, vertice elevato, occipite libero. Frons plerumque angusta, saepius etiam linearis, rarius dilatata. Oculi laterales, ovati vel reniformes, interdum permagni totamque fere capitis superficiem occupantes. Antennae maris pectinatae vel flabellatae; feminae serratae vel simplices, rarius pectinatae, articulorum numero vario. Mandibulae validae, totae corneae, margine interno saepius dente valido instructae Maxillae laminis basi inter se conjunctis, corneis vel membraneis, interna etiam deficiente. Palpi maxillares articulis singulis oblongis, subcylindricis, interdum deplanatis, dilatatis, articulo ultimo vero nunquam securiformi. Ligula membranea, apice plerumque lobata. Palpi labiales articulis singulis subcylindricis, aut graciles, aut breviusculi.

Thorax antrorsum attenuatus, subtriqueter, basi plerumque bisinuatus, rarius rotundatus: apertura ad caput recipiendum angusta: prosterno brevissimo, inter coxas retrorsum prolongato, acuminato.

Scutellum in aliis apertum, in aliis lobo thoracis medio obtectum.

Elytra aut corpus totum tegentia, aut intus dehiscentia apicemque versus acuminata: in aliis denique plus minusve abbreviata, distantia. In his simul alae exsertae apparent.

Abdomen subcylindricum, articulis 5—8 compositum, posterioribus interdum retractis.

Coxae anticae liberae, dependentes, plus minusve elongatae: posticae transversae et sicut mediae connatae. Omnes plerumque approximatae, in uno tantum genere distantes. — Femora simplicia, gracilia, facie superiore, qua corpori adjacent, leviter concava. — Tibiae subcylindricae, apicem versus saepius leviter dilatatae, in aliis spinis armatae, in aliis muticae. — Tarsi anteriores 5-, postici 4 articulati, articulis intermediis plus minusve abbreviatis. Unguiculi pectinati, vel serrati, vel apice bifidi, rarius integri.

Generali quidem corporis structura Rhipiphorides magnam praebent similitudinem cum Mordellis: nihilominus vero compluribus characteribus, qui non exigui momenti esse videntur, ab illis discrepant. Mordellarum (quibus genus Mordellam, Anaspin etc adnumero) enim mandibulae lamella interna membranea, ciliata, inter dentem apicalem atque basin quasi expansa, instructae apparent, quae nullius Rhipiphoridum generis propria est. Nec minus maxillae eo abhorrent, quod laminae, quae semper membraneae sunt, usque ad basin separatae ibique inter se remotae oriuntur. Praeterea palpi maxillares Mordellarum articulo fortiter securiformi terminantur: caput in iisdem thorace ejusmodi receptum apparet, ut occiput obtegatur, antennaeque in utroque sexu processibus vel flabellis semper carent. Quibus ex caussis Rhipiphoridum et Mordellarum familias separandas esse existimo.

Animalia Rhipiphoridum familiae attributa in floribus vivunt magnaque cum velocitate effugere solent: nonnullae species etiam in nidis Hymenopterorum socialium occurrunt. Calidiores orbis terrarum regiones

majorem eorum copiam producere videntur, quam temperatae. Specierum enim 73 infra allatarum 32 Americae meridionalis, 10 Americae septemtrionalis, 10 Novae Hollandiae, 10 Europae, 7 Africae meridionalis, 4 Indiae orientalis atque insularum vicinarum incolae apparent. Quod ad generum distributionem geographicam pertinet, unum tantum omnium orbis terrarum partium proprium esse videtur, Rhipiphorus nempe: Ptilophori species in America tantum desunt, Myodites contra in Nova Hollandia. Trigonodera Americae meridionalis Novaeque Hollandiae propria esse videtur, ejusque locum tenet in Africa meridionali genus admodum affine Geoscopus, quod una cum Ctenidia et Clinope hujus terrae proprium est. Ceterum omnibus orbis terrarum partibus genus aliquod convenit singulare, ut Metoecus Europae, Euctenia Novae Hollandiae, Ancholaemus Americae meridionali. —

Specierum nonnullae sunt, quae per magnam orbis terrarum partem propagatae reperiuntur: sic Rhipiphorus flabellatus Europae meridionalis, Africae totius Indiaeque orientalis incola est, et Rhipidius blattarum sine dubio ubique occurrit, ubi Blatta germanica reperitur.

Rhipiphorides apte in tribus quattuor dividuntur, quae non exigua inter se discrimina praebent: praecipue vero Rhipidiini et Myoditini a ceteris duabus multifariam abhorrent. Quum enim hi praecipue sterni structura nec non coxarum sede distincti sunt, illi singulari oris conformatione non minus insignes apparent. Aliis vero characteribus ejusmodi cum Rhipiphorinis et Ptilophorinis conjunguntur, ut quasi transitum inter eos efficiant: antennarum structura e. c. Rhipidius Ptilophorinis, Myodites contra Rhipiphorinis appropinquatur, quum inter se elytris abbreviatis affinitatem quandam praebere videntur.

Tribus I. Ptilophorini.

Antennae maris pectinatae, feminae serratae.
Oculi emarginati.
Scutellum apertum.
Elytra corpus totum tegentia, sutura contigua.
Coxae approximatae.
Unguiculi serrati vel pectinati.

Genus I. Trigonodera.

Trigonodera. Dejean Cat.
Rhipiphorus. Germar.
Pelecotoma. Latr. Encycl.
Pelecotoides. Castelnau.

Antennae articulis 4 vel 5 primis simplicibus.
Palpi maxillares articulo tertio breviore.
Ligula subcordata.
Palpi labiales articulis 2 et 3 subaequalibus.
Tibiae anticae bispinosae.
Unguiculi pectinati.

Corpus elongatum. Caput parvum, oblongum, vertice convexo, thoracis marginem anteriorem haud superante. Clypeus antrorsum subattenuatus, apice truncatus. Oculi laterales, reniformes, margine antico profunde sinuato. Antennae in sinu oculorum sub crista brevi elevata insertae, capitis thoracisque longitudinem superantes, articulis 4 vel 5 primis simplicibus, ceteris in mare pectinatis, in femina serratis. Labrum porrectum, transversum, apice emarginatum, limbo membraneo circumdatum. Mandibulae elongatae, subrectae, apice obtusae, margine interno integro. Maxillae lamina utraque cornea, apice rotundata. Palpi maxillares tenues, articulo tertio quarto dimidio breviore, hoc subulato, apice vix truncato. Mentum subquadratum, angulis anticis leviter rotundatis. Ligula cordata, medio bispinosa. Palpi labiales graciles, articulis 2 et 3 subaequalibus, hoc

subulato, apice vix truncato. Thorax subtriqueter, lateribus plus minusve rotundatis, basi bisinuatus, dorso convexus. Elytra elongata vel oblonga, retrorsum in mare fortius quam in femina attenuata. Abdomen 5 articulatum. Pedes elongati, tibiae omnes apice fortiter bispinosae. Tarsi antici articulis 2—4 abbreviatis, medii iisdem oblongis. Unguiculi pectinati.

Annotatio. Primus genus illud sub nomine Trigonoderae instituit Ill. Dejean, quod sine ulla caussa probabili ab Ill. de Castelnau in Pelecotoides mutatum fuit. Hoc vero nomen, non solum nihil significans, sed etiam vitiose formatum, rejiciendum existimans, antiquius illud Dejeanii restitui.

Species hujus generis, Americae meridionalis atque Novae Hollandiae incolae, divisionibus duabus attribui possunt: in aliis enim articuli antennarum quattuor, in aliis quinque basales sequentibus angustiores et simplices apparent.

Divisio I.

Antennarum articuli 1—4 simplices, vel ceteris angustiores.

1. Trig. succincta. *Fusca, aureo- vel griseo-tomentosa, strigis nonnullis elytrorum basalibus, sutura postice dilatata fasciaque post medium transversa densius pilosis. Long. 6—10 lin.*

Rhipiphorus succinctus. Germ. Spec. Ins. pag. 168.

var. a. ♂ *Elytris aequaliter aureo-tomentosis, macula post medium alba, saepius obsoleta.*

Pelecotoma Leachii. Latr. Nouv. Dict. d'hist. nat. 2. édit. pag. 135. — Encycl. méth. Tom. X, pag. 32.

Pelecotoides Leachii. Castelnau, Hist. nat. d. Ins. Coléopt. II. pag. 263, No. 1.

var. b. ♂ *Elytris aequaliter fusco-tomentosis, puncto post medium albido.*

var. c. ♀ *Elytris fusco-tomentosis, strigis, sutura fasciaque transversa cinereis.*

Pelecotoides strigata. Castelnau, Hist. d. Ins. Coléopt. II, pag. 263. No. 6.

var. d. ♀ *Elytris aequaliter griseo-tomentosis, pilis nonnullis rufis intermixtis.*

Pelecotoides gigantea. Castelnau, Hist. d. Ins. Coléopt. II. pag. 263, No. 5.

♂ ♀

Caput nigrum, subtiliter punctatum, brunneo-pilosum, fronte plana, subimpressa, vertice convexo. Palpi picei, apice rufescentes. Antennae fuscae, articulis 1 et 3 oblongis, inter se aequalibus, 2 et 4 brevibus, subglobosis. Thorax subtriqueter, apice truncatus, elevato-marginatus, lateribus leviter rotundatis, margine postico profunde bisinuato, angulis posticis acuminatis, humeros amplectentibus, lobo medio truncato: supra modice convexus, crebre subtiliterque punctatus, dense aureo-tomentosus. Scutellum obtuso-triquetrum, subtiliter punctatum, dense pilosum. Elytra thorace plus triplo longiora, retrorsum sensim attenuata, apice singulatim rotundata: supra satis convexa, humeris paullum elevatis, crebre subtiliterque ruguloso-punctata, brunneo-tomentosa, 3 vel 4 strigis basalibus, sutura ante apicem dilatata fasciaque post medium transversa laete aureo-pilosis. Corpus subtus punctulatum, aureo-tomentosum, abdominis segmentis albido-marginatis. Pedes rufo-brunnei.

Mas a femina differt corpore angustiore, retrorsum fortius attenuato. Pubescentia corporis atque elytrorum hac in specie admodum colore variat: in mare fusca, brunnea, aureo-flava, in femina saepius cinerea apparet: signaturae in mare multo minus perspicuae, quam in femina, nec raro fit, ut in illo plus minusve evanescant. Reperiuntur enim specimina, in quibus strigae baseos vix vel haud perspicuae sunt et fascia transversa ad maculam minutam diminuitur. In femina contra strigae, sutura atque fascia transversa saepius adeo dilatantur, ut tota fere superficies cinerea appareat.

Patria: Brasilia.

2. Trig. signaticollis. *Fusca, cano-tomentosa, antennis palpisque ferrugineis, pedibus castaneis: fronte inter oculos lineari, thorace linea media fusca, elytris fusco-albidoque variegatis. Long. 5—6½ lin.*

Pelecotoma Latreillei! Encycl. méth. X, pag. 32. No. 2.

Pelecotoides Latreillei! Casteln. Hist. nat. d. Ins. Coléopt. II, pag. 263. No. 2.

♀

Praecedente dimidio fere minor, retrorsum parum attenuata, fusca vel rufo-brunnea, dense cano-tomentosa. Caput parvum, dense punctatum, cano pilosum, fronte inter oculos lineari, vertice satis convexo, subacuminato. Palpi ferruginei. Antennae ferrugineae, articulo tertio basali paullo, secundo vero triplo longiore.

sequentibus (ex quinto) in femina fortiter serratis. Thorax subtriqueter, longitudine paullo latior, lateribus leviter rotundatus, basi profunde bisinuatus, angulis posticis acutis, extrorsum versis, lobo medio illis longiore, ante scutellum truncato: crebre subtiliterque punctatus, dense cano-pilosus, linea media retrorsum sensim dilatata saturate fusca. Scutellum rotundato-quadratum, dense pilosum. Elytra basi thorace non latiora, lateribus retrorsum parum attenuata, apice singulatim rotundata, crebre subtiliterque punctata, dense cano-pilosa, macula ante, fascia post medium extus abbreviata lituraque ante apicem albidis, maculis praeterea multis irregularibus fuscis Corpus subtus confertim punctatum, fuscum, abdomine plus minusve rufescente. Pedes rufo-brunnei, dense pilosi.

Patria: Brasilia.

Annotatio. Pelecotoma Latreillei Encycl., quantum ex descriptione incompleta judicari potest, huic speciei congruere videtur: sed quum signaturae thoracis, in nostris quidem speciminibus admodum perspicuae, nulla fiat mentio, cum dubio tantum hoc loco citari potuit.

3. Trig. nubila. *Fusca, griseo-pubescens, antennis pedibusque rufis: fronte inter oculos lineari, thorace elytrisque pube aureo-micante vestitis. Long. $3\frac{1}{4}$—$4\frac{1}{4}$ lin.*

♂

Corpus oblongum, retrorsum attenuatum, fuscum, griseo-pubescens. Caput crebre punctatum, dense pilosum, fronte inter oculos lineari, plana, vertice convexo. Labrum palpique rufo-brunnei. Antennae rufo-brunneae, articulis 2 et 4 brevissimis, tertio his dimidio longiore. Thorax longitudine paullo latior, lateribus rotundatus, basi bis bisinuatus, angulis posticis brevibus, acutis, lobo medio ante scutellum emarginato, illis vix longiore: supra modice convexus, basin versus subdepressus, crebre subtiliterque punctatus, pube aureo-micante vestitus. Scutellum oblongo-quadratum, postice rotundatum. Elytra thorace fere triplo longiora, retrorsum perspicue attenuata, apice singulatim rotundata, subtiliter ruguloso-punctata, pube aureo-micante vestita. Corpus subtus dense punctatum, griseo-pubescens. Pedes rufo-brunnei.

A Trig. signaticolli, quacum fronte lineari convenit, haec species statura minore, antennarum articulo tertio brevi nec non pube elytrorum micante facile distinguitur.

Habitat rempublicam Peruanam.

4. Trig. sulcicollis. *Obscure brunnea, griseo-pubescens, antennis basi excepta nigris: thorace profunde canaliculato, elytris crebre substiliterque ruguloso-punctatis. Long. $3\frac{2}{3}$ lin.*

♂

Ex minoribus hujus generis, brunnea, opaca, subtiliter pubescens. Caput dense subtiliterque punctatum, fronte subcarinata, vertice convexo. Labrum palpique rufo-brunnei. Antennae nigrae, articulis quattuor basalibus rufo-brunneis: primo oblongo-quadrato, secundo tertioque longitudine fere aequalibus, quarto his breviore, transverso. Thorax longitudine paullo latior, lateribus rotundatus, ante apicem leviter constrictus, basi profunde bisinuatus, angulis posticis fere rectis, obtusiusculis, lobo medio rotundato, lateralibus perspicue longiore: supra modice convexus, in medio baseos subdepressus, confertim subtiliterque punctatus, profunde canaliculatus. Scutellum rotundato-quadratum. Elytra basi thorace paullo latiora illoque plus duplo longiora, retrorsum sat fortiter attenuata, apice singulatim rotundata: supra satis convexa, subtilissime punctata, costarum trium longitudinalium vestigiis, basin versus evanescentibus. Tota superficies tomento saturate brunneo obtecta, cui pubescentia grisea incumbit. Abdomen subtilissime, pectus paullo fortius punctatum. Pedes rufo-brunnei.

Habitat Brasiliam.

5. Trig. nuda. *Nigra, subtiliter pubescens, antennis, tibiis, tarsis elytrisque piceis: capite thoraceque confertim punctatis, subnitidis, elytris alutaceis, longitudinaliter subcostatis. Long. 5 lin.*

♀

Caput latum, crebre punctatum, nigrum, subnitidum, fronte linea media laevi, ante oculos transverse impressa, vertice parum convexo, frontem versus calloso-elevato. Palpi brunnei, apice rufescentes. Antennae piceae, apicem versus rufescentes: articulo basali tertio dimidio fere breviore, secundo vero duplo longiore, sequentibus (ex quinto) in femina parum dilatatis. Thorax longitudine paullo latior, antrorsum minus quam in ceteris speciebus attenuatus, apice perspicue emarginatus, basi profunde bisinuatus, angulis posticis brevibus, fere rectis, humeros haud amplectentibus, lobo medio late rotundato, lateralibus paullo breviore: supra leviter

convexus, in medio baseos subdepressus, disco confertim, lateribus minus crebre punctatus, parce subtilissimeque pubescens. Scutellum trapezoideum, angulis posticis rotundatis, subtilissime punctulatum. Elytra thorace plus triplo longiora illoque basi perspicue latiora, retrorsum sensim attenuata, apice singulatim rotundata: supra satis convexa, basi depressa, picea, alutacea, pube brevissima parce obsita, sutura costisque in utroque quatuor longitudinalibus leviter elevatis. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctatum, pubescens. Pedes fusci, tibiis tarsisque rufo-piceis.

Habitat Novam Hollandiam.

Divisio II.

Antennarum articuli 1—5 simplices vel ceteris angustiores.

6. Trig. maculata. *Fusca, sericea, antennis tarsisque dilutioribus: thorace elytrorumque basi cretaceo-tomentosis fuscoque variegatis, his postice fuscis, cinereo adspersis. Long. 4—6 lin.*

Pelecotoides maculata. Casteln. Hist. nat. d. Ins. Coléopt. II, pag. 263. No. 4.

var. a. Thorace elytrorumque basi aequaliter pallide tomentosis, his postice pallide fuscoque variegatis.

var. b. Thorace elytrisque totis pallide tomentosis.

Pelecotoma helva. Perty. Animal. artic. Brasil. quae colleg. Spix et Martius, pag. 66 Tab. XIII, Fig. 13.

Pelecotoides helva. Casteln. Hist. d. Ins. Coléopt. II, pag. 263. No. 3.

♀

Trig. signaticolli statura et magnitudine subsimilis, a qua praeter antennarum conformationem fronte inter oculos lata facile distinguitur. Caput parvum, cano-villosum, fronte lata, linea media laevi, minus crebre quam vertex punctata. Labrum palpique rufo-brunnei. Antennae fuscae, basi apiceque rufo-brunneis, articulo tertio primo paullo, secundo vero duplo longiore, quarto quintoque subaequalibus. Thorax subtriqueter, longitudine tertia fere parte latior, lateribus apicem versus rotundatis, postice subrectis, basi bis bisinuatus, angulis posticis brevibus, acutis, extrorsum versis humerosque paullulum amplectentibus, lobo medio ante scutellum profunde emarginato: supra satis convexus, confertim rugulosus, pilis sordide albidis dense vestitus, intermixtis maculis parvis irregularibus fuscis. Scutellum rotundato-triquetrum, dense albido-pilosum. Elytra basi thorace paullo latiora, lateribus ad medium usque sensim attenuata, dein fere recta, apice singulatim rotundata: supra satis convexa, crebre subtiliterque rugulosa, humeris plicisque duabus basalibus calloso-elevatis: dense fusco-tomentosa, cinereo-adspersa, basi (humeris maculisque duabus pone scutellum exceptis) lacte cretacea. Corpus subtus fuscum, subtiliter punctatum, sericeum. Pedes fusci, tarsis dilutioribus.

Color elytrorum albidus saepius plus minusve augetur, nec raro fit, ut totam superficiem occupet: talem vero varietatem Pelecotomam helvam Perty esse suspicor.

Habitat Brasiliam.

7. Trig. vittata. *Fusca, subtiliter pubescens, thorace elytrisque nigris, fusco-tomentosis, vittis duabus albidis in thorace fascia transversa conjunctis. Long. 3½—6 lin.*

♀

Caput parvum, punctatum, pallide pilosum, fronte inter oculos latiore, linea media laevi, vertice convexo, medio pilis fuscis vestito. Mandibulae palpique picei. Antennae piceae, basi rufescentes: articulo primo tertioque latitudine duplo longioribus, secundo brevi, quarto hoc paullo longiore, quinto intus subdilatato, ceteris in femina fortiter serratis. Thorax subtriqueter, apice truncatus, lateribus leviter rotundatis, basi bisinuatus, angulis posticis acutis, subinflexis, retrorsum versis humerosque amplectentibus, lobo medio lateralibus longiore, ante scutellum profunde emarginato: supra satis convexus, latera versus depressus, crebre subtiliterque punctatus, fusco tomentosus, vittis duabus retrorsum divergentibus medioque fascia transversa conjunctis albido-flavis. Scutellum subtriquetrum, punctatum, fusco-tomentosum. Elytra basi thorace paullo latiora, illoque plus duplo longiora, lateribus retrorsum vix attenuata, apice singulatim rotundata: supra satis convexa, humeris calloso-elevatis, confertim ruguloso-punctata, fusco-tomentosa, vitta laterali albida apicem versus evanescente ornata. Corpus subtus fuscum vel brunneum, disperse punctulatum, sericeum. Pedes fusci, femorum tibiarumque basi nec non tarsis anterioribus albido-pilosis.

Habitat Brasiliam.

8. Trig. bistriata. *Fusca. griseo-pubescens. antennarum basi pedibusque rufo-brunneis: thorace pallide tomentoso. maculis tribus magnis ovalibus fuscis. elytris fuscis, basi strigaque longitudinali flavis, aureo-micantibus. Long.* $3\frac{1}{2}$ *lin.*

var. a. Strigis elytrorum deficientibus.

♀

Caput crebre punctulatum. griseo-pilosum. fronte inter oculos latiore. leviter convexa. Mandibulae. labrum palpique rufo-brunnei. Antennae nigrae. articulis quinque primis rufis. apice dilute piceae: articuli singuli ut in Trig. vittata conformati. Thorax longitudine paullo latior. antrorsum fortiter attenuatus. apice truncatus. lateribus rotundatis. basi bisinuatus. angulis posticis acuminatis. extus nec non retrorsum versis humerosque amplectentibus. lobo medio truncato et indistincte bifido. lateralibus breviore: supra satis convexus. basi leviter biimpressus. crebre subtiliterque punctatus. pallide tomentosus. maculis tribus magnis ovatis (anterioribus duabus lateralibus. posteriore in medio baseos) fuscis. Scutellum rotundato-triquetrum, crebre punctatum. pilosum. Elytra thorace plus duplo longiora. retrorsum attenuata. apice singulatim rotundata, confertim rugulosa. fusco-tomentosa. punctis albidis irregulariter adspersa. basi (punctis duobus fuscis exceptis) strigaque longitudinali. retrorsum suturae approximata apicemque versus evanescente flavis. aureo-micantibus. Corpus subtus crebre punctatum. griseo-pubescens. Pedes rufo-brunnei.

Interdum striga longitudinalis elytrorum flava prorsus deficit.

Habitat rempublicam Peruanam.

9. Trig. pallipes. *Brunnea. holosericea. antennarum basi pedibusque ferrugineis: thorace elytrisque subtilissime punctulatis. aequaliter brunneo-tomentosis. Long.* $3\frac{1}{2}$ *lin.*

♂

Trig. sulcicolli facie subsimilis, sed perspicue latior. retrorsum minus attenuata. Caput parvum, subglobosum. irregulariter punctulatum. nigrum. brunneo-tomentosum. Palpi rufo-brunnei. Antennae fuscae, articulis quinque basalibus dilute rufis: articulo primo oblongo-triquetro. sequentibus quatuor transversis, quinto intus acute dilatato. ceteris in mare processibus longis apice subclavatis instructis. Thorax longitudine tertia fere parte latior. antrorsum fortiter attenuatus, apice leviter sinuatus. lateribus rotundatis, angulis posticis acutis. extus nec non retrorsum productis humerosque amplectentibus. lobo medio truncato, lateralibus non longiore: supra admodum convexus. basi leviter biimpressus, crebre punctulatus. brunneo-tomentosus. Scutellum rotundato-triquetrum. crebre subtilissimeque punctatum. Elytra thorace triplo longiora. retrorsum subattenuata, apice singulatim rotundata: supra modice convexa, pone scutellum depressa. crebre subtilissimeque punctulata, brunneo-tomentosa. Corpus subtus rufo-brunneum, punctulatum. sericeum. Pedes dilute ferruginei.

Habitat Brasiliam.

10. Trig. senilis. *Rufo-ferruginea. capite, thorace pectoreque nigricantibus, subtus parcius, supra densius pallide pilosa: thorace oblongo, confertim punctato, antennarum articulo tertio brevissimo. Long.* $3\frac{1}{2}$ — $3\frac{3}{4}$ *lin.*

♂ ♀

Caput parvum. brunneum vel nigricans, crebre punctatum. cano-pilosum. fronte inter oculos transverse impressa. vertice convexo. Mandibulae ferrugineae. apice nigro: palpi ferruginei. Antennae ferrugineae, articulo primo latitudine dimidio longiore. 2—4 brevibus. quinto intus acuminato. Thorax latitudine paullo longior. antrorsum fortiter attenuatus, apice leviter emarginatus, lateribus ad medium usque rotundatis, postice fere rectis, basi profunde bisinuatus, angulis posticis acutis. retrorsum versis humerosque amplectentibus, lobo medio lato. ante scutellum truncato et elevato-marginato: supra satis convexus, confertim punctatus, niger vel fuscus. pilis pallidis dense vestitus. Scutellum subquadratum. pallide pilosum. Elytra thorace plus duplo longiora. retrorsum sensim attenuata, apice singulatim rotundata: supra satis convexa. basi subdepressa, crebre subtiliterque punctata. ferruginea. pallide pilosa. Corpus subtus crebre subtiliterque punctatum. griseo-pilosum, rufum. pectore nigricante. Pedes ferruginei.

Habitat Novam Hollandiam.

11. Trig. lutea. *Rufo-ferruginea, capite thoraceque obscurioribus, subtus parcius, supra densius pallide pilosa: thorace transverso, subtilius punctato, antennarum articulo tertio elongato. Long.* $3\frac{1}{2}$—$4\frac{1}{2}$ *lin.*

♀

Praecedenti facie simillima, pubescentia tamen subtiliore, thorace transverso nec non antennarum conformatione bene distincta. Caput subtilissime punctatum, rufo-brunneum, sericeum. Labrum palpique ferruginei, articulo primo tertioque oblongis, subaequalibus, secundo quartoque brevibus, quinto intus acute dilatato, ceteris in femina fortiter serratis. Thorax transversus, tertia certe latior quam longior, antrorsum fortiter attenuatus, apice leviter emarginatus, basi profunde bisinuatus, angulis posticis brevibus, acutis, lobo medio late rotundato: supra satis convexus, basi utrinque profunde impressus, rufo-brunneus, subtilissime punctatus, sericeus. Elytra thorace triplo longiora, pone humeros leviter ampliata, dein fere recta, posterius attenuata apiceque singulatim rotundata: supra modice convexa, subtilissime punctulata, longitudinaliter subcostata, rufa, pallide cervino-pilosa. Corpus subtus rufo-ferrugineum, subtiliter punctatum, pallide pilosum. Pedes ferruginei.

Habitat Novam Hollandiam.

12. Trig. sericea. *Fusca, holosericea, thorace transverso, angulis posticis acutis, disco foveola profunde impressa: elytris leviter attenuatis, subtiliter ruguloso-punctatis. Long. 5 lin.*

♀

Praecedente paullo longior et pone humeros latior, tota fusca, sericea. Caput crebre punctulatum, fuscum, cervino-pubescens; labrum palpique rufo-brunnei. Antennae nigricantes, basi rufo-piceae, articulo tertio secundo dimidio longiore, quinto subdilatato. Thorax transversus, antrorsum fortiter attenuatus, lateribus rotundatis, angulis posticis acutis, extrorsum productis, lobo medio leviter rotundato, ante scutellum vix truncato: supra minus convexus, confertim punctulatus, foveola disci sat profunde impressa, nigro-fuscus, cervino-pubescens. Scutellum oblongo-quadratum, crebre punctulatum, marginibus pubescens. Elytra basi thorace paullo latiora illoque fere triplo longiora, lateribus leviter attenuata apiceque singulatim rotundata: supra parum convexa, basi subdepressa, confertim ruguloso-punctata, fusca, cervino-pilosa. Corpus subtus fuscum, sericeum. Pedes fusci, tarsis piceis.

Habitat Novam Hollandiam.

Species mihi ignota.

13. Trig. conicollis. *Brunnea, cinereo-tomentosa, elytris leviter tricostatis: fronte lineari. Long.* 10 *lin.*
Pelecotoides conicollis. Casteln. Hist. nat. d. Ins. Col. II, pag. 263. *No.* 7.

Habitat Novam Hollandiam.

Genus 2. Geoscopus.

Antennae ♂ 11-. ♀ 10-*articulatae.*
Palpi maxillares articulis 2 *et* 3 *subaequalibus.*
Ligula trapezoidea, medio incisa.
Palpi labiales articulo 2 *longissimo.*
Tibiae anticae bispinosae.
Unguiculi serrati.

Corpus oblongum. Caput orbiculare, vertice convexo, thoracis marginem anteriorem haud superante. Clypeus brevis, transversus, apice truncatus. Oculi laterales, reniformes. Antennae in tuberculo laterali frontis, prope sinum oculorum insertae: in mare capite thoraceque multo longiores, 11 articulatae, articulo 1—5 simplicibus, sequentibus dilatatis fortiterque serratis, ultimo elongato, subparallelo: in femina breviores, articulis 6—9 serratis, ultimo ovali. Labrum transversum, antice leviter emarginatum. Mandibulae elongatae, margine interno integrae, apice acuminato. Maxillae lamina utraque cornea, apice rotundata. Palpi maxillares articulo 2 et 3 longitudine aequalibus, apice clavatis, ultimo longissimo, subulato, apice vix truncato. Mentum quadra-

tum. Ligula transversa. trapezoidea. in medio marginis anterioris incisa. Palpi labiales articulo 2 longissimo. 3 subulato. apice subtruncato. Thorax atque elytra ut in genere Trigonodera formata. Tibiae omnes apice bispinosae: tarsorum anticorum articuli 2—4 breviusculi. Unguiculi serrati.

1. Geosc. murinus. *Fuscus. dense griseo-pilosus, antennis. elytris tibiis tarsisque rufo-piceis: thorace transverso. alutaceo, elytris retrorsum attenuatis. Long.* $3\frac{1}{2}$—4 *lin.*

♂ ♀

Trig. sulcicolli statura haud dissimilis. Caput suborbiculare. crebre subtiliterque punctatum. griseo pilosum. vertice parum convexo. fronte inter oculos transverse impressa. Palpi rufo-picei. Antennae rufo-piceae. articulo primo oblongo. 2—5 brevibus. in mare transversis. 5 intus acuminato. Thorax longitudine dimidio fere latior. antrorsum fortiter attenuatus. apice truncatus, lateribus rotundatis. basi bisinuatus. ante scutellum subtruncatus. angulis posticis acutis: supra satis convexus. confertim alutaceus. dense griseo-pilosus. Scutellum oblongo-quadratum. Elytra thorace triplo longiora illique basi latitudine fere aequalia. retrorsum in mare fortius quam in femina attenuata. apice singulatim rotundata: supra modice convexa. basin versus subdepressa. confertim alutacea. rufo-picea. dense griseo-pilosa. Corpus subtus fuscum. dense pilosum. Pedes rufo-brunnei, femoribus infuscatis.

Habitat Promontorium Bonae Spei.

Genus 3. Pelecotoma.

Pelecotoma. Fischer. Latr.
Ripiphorus. Payk. Gyll.

Antennae articulis 3 primis simplicibus.
Palpi maxillares articulis brevibus. ultimo fortiter truncato.
Mentum elongatum.
Ligula biloba.
Palpi labiales articulo 2 longissimo. ultimo ovato.
Tibiae omnes muticae.
Unguiculi obsolete bidentati.

Corpus elongatum Caput magnum. transversum. vertice thoracis marginem anteriorem non superante Clypeus transversus. truncatus. Oculi laterales. convexi. ovati. antice leviter emarginati. Antennae ante oculos. sub crista elevata insertae. in mare capitis thoracisque longitudinem superantes. 11 articulatae. articulis tribus primis simplicibus. ceteris pectinatis *). Labrum acuminato-rotundatum. Mandibulae brevissimae. acutae. margine interno unidentatae. Maxillae lamina utraque membranea. interna minuta. lanceolata. externa rotundata. Palpi maxillares articulis singulis brevibus. cuneiformibus. ultimo ceteris longiore. fortiter atque oblique truncato. Mentum elongatum. Ligula biloba. lobis rotundatis. Palpi labiales articulo 2 longissimo. tertio ovato, apice acuminato. Thorax subtriqueter. lateribus leviter rotundatus. parum convexus. Scutellum minutum. Elytra elongata. subparallela. Pedes graciles: tibiae omnes muticae. posticae apicem versus leviter dilatatae. Tarsorum omnium articuli oblongi. Unguiculi obsolete bidentati.

1. Pel. fennica. *Nigra, pubescens, elytris pedibusque castaneis. antennarum basi palpisque testaceis Long.* $1\frac{2}{3}$—$2\frac{1}{2}$ *lin*

Pelecotoma fennica. Casteln. Hist. nat. d. Ins. Coléopt. II. p. 262. *No.* 1.
Ripiphorus fennicus. Payk. Faun. Suec. II, pag. 178. *No.* 2. — *Gyllenh. Ins. Suec. I.* 2. *pag.* 621. *No.* 2.
Pelecotoma mosquense Fischer. Mém. d. nat. de Moscou II, pag. 293. *Tab.* 18. *Fig.* 1. — *Encycl. méth. X. pag.* 32, *No.* 3. — *Latr. Nouv. Dict. d'hist. nat.* 2. *ed. XXV. pag.* 135.

♂

Caput transversum. ruguloso-punctatum. griseo-pubescens. nigrum. subnitidum. Labrum palpique

*) Antennae feminae secundum Ill Fischer 8 articulatae. articulis 4—8 serratis

testacei. Antennae dilute castaneae, articulis tribus primis testaceis. Thorax triqueter, lateribus leviter rotundatis, basi bisinuatus, angulis posticis acutis: supra leviter convexus, basi utrinque sat profunde impressus, ruguloso-punctatus, niger, griseo-pubescens. Scutellum subquadratum, punctulatum, nigrum. Elytra basi thorace vix latiora illoque fere quadruplo longiora, lateribus ultra medium usque fere recta, dein sensim attenuata apiceque singulatim rotundata: supra leviter convexa, pone basin longitudinaliter impressa, confertim subtiliterque ruguloso-punctata, castanea, pube grisea vestita. Corpus subtus punctulatum, pubescens, nigrum, subnitidum, abdominis segmentis piceo-marginatis. Pedes castanei, tibiis tarsisque anterioribus saepius testaceis.

Habitat Germaniam, Sueciam, Rossiam.

2. Pel. flavipes. *Nigra, pubescens, antennis, palpis pedibusque testaceis. Long. $2\frac{1}{4}$ lin.*

Pelecotoma flavipes. Melsheimer. Proceed. acad. nat. scienc. of Philad. II, pag. 318.

Species mihi ignota, quae habitat Carolinam.

Genus 4. Clinops.

Antennae articulis 3 primis simplicibus, 1 et 3 subaequalibus.
Palpi maxillares articulis deplanatis, ultimo oblongo.
Mentum subquadratum.
Ligula biloba.
Palpi labiales articulo ultimo lanceolato.
Tibiae anticae muticae.
Unguiculi bidentati.

Corpus elongatum. Caput orbiculare, vertice thoracis marginem anteriorem vix superante. Oculi laterales, reniformes. Antennae breves, ante oculos insertae, articulo primo oblongo, apice dilatato, secundo brevi, tertio hoc plus duplo longiore, cuneiformi, ceteris in mare in ramum longum dilatatis, quorum ultimus ceteris multo crassior apparet. Labrum rotundatum. Mandibulae breves, robustae, margine interno obtuse unidentatae. Maxillae lamina interna angusta, apice subacuminata, externa rotundata. Palpi maxillares articulo primo brevi, minuto, ceteris dilatatis atque deplanatis; secundo tertioque subtriquetris, ultimo oblongo-ovato. Mentum subquadratum; ligula biloba, lobis acuminatis, distantibus. Palpi labiales articulis singulis fere aequaliter longis, ultimo breviter lanceolato. Thorax subtriqueter, basi profunde bisinuatus, dorso fere deplanatus. Elytra elongata, parallela, apice singulatim rotundata. Pedes elongati, graciles, tibiis anticis muticis, mediis —?, posticis bispinosis; tarsorum articuli elongati. Unguiculi intus bidentati.

1. Clin. badius. *Elongatus, rufo-brunneus, sericeus, antennis basi excepta fuscis: thorace elytrisque subtilissime rugulosis, his basi suturaque pube densiore vestitis. Long. $3\frac{2}{3}$ lin.*

♂

Caput thoracis margine anteriore multo latius, vertice hunc vix superante: fronte inter oculos latissima, supra leviter impressa, crebre subtilissimeque punctata, pilis linea media divergentibus vestita. Antennae fuscae, articulis tribus primis ferrugineis. Thorax subtriqueter, vix latior quam longior, lateribus perparum rotundatis, angulis posticis acuminatis, retrorsum versis humerosque amplectentibus, lobo medio his breviore, apice bifido: supra fere deplanatus, basi utrinque depressus, subtiliter rugulosus, basi lateribusque pube sericea densius quam disco vestitus. Scutellum rotundato-quadratum, subexcavatum, confertim rugulosum. Elytra basi thorace paullo angustiora, illoque fere triplo longiora, ad medium usque subparallela, apicem versus leviter attenuata et paullo dehiscentia, singulatim rotundata: supra crebre subtiliterque rugulosa, pube grisea tenui vestita, pubescentia basi et secundum suturam condensata nec non aureo-micante. Corpus subtus punctulatum, griseo-pubescens. Pedes rufo-ferruginei, pube sericea vestiti.

Unum tantum specimen, in Caffraria captum, observationi patet.

Genus 5. Ancholaemus.

Antennae articulis 3 basalibus simplicibus, primo elongato.
Palpi maxillares valde dilatatae, deplanatae.
Mentum elongatum.
Ligula triloba.
Palpi labiales articulis brevibus, ultimo fortiter truncato.
Tibiae anticae muticae, mediae 1-, posticae 2-spinosae.
Unguiculi dentati.

Corpus elongatum, retrorsum dilatatum. Caput oblongum, vertice elevato, acuminato. Clypeus brevis, truncatus. Oculi permagni, ovati, margine anteriore profunde excisi. Antennae in interno oculorum latere insertae, breves, articulo primo elongato, obconico, secundo tertioque brevibus, aequaliter longis, ceteris in mare in ramum longum dilatatis. Labrum rotundatum. Mandibulae breves, validae, acutissimae, margine interno dente valido, acuto instructae. Maxillae lamina utraque cornea, interna angustiore, lanceolata, externa securiformi. Palpi maxillares articulo primo oblongo, tenui, ceteris valde dilatatis, deplanatis, tomentosis, secundo tertioque subtriquetris, ultimo ovato. Mentum elongatum, angustum. Ligula apice triloba, lobo medio breviore, truncato, lateralibus rotundatis. Palpi labiales breves, articulis sensim latioribus, cuneiformibus, ultimo late truncato. Thorax triqueter, supra deplanatus, basi profunde bisinuatus. Elytra elongata, retrorsum dilatata, apice singulatim et late rotundata. Pedes simplices, tenues; tibiae anticae muticae, mediae uni-, posticae bispinosae. Tarsorum articuli elongati, unguiculi intus 4 dentati, dentibus basin versus sensim minoribus.

1. Anch. lyciformis. *Elongatus, niger, holosericeus, capitis thoracisque lateribus elytrorumque dimidio anteriore aureo-tomentosis. Long. 6½ lin.*

♂

Caput subtiliter punctatum, medio longitudinaliter subsulcatum, fronte verticeque fusco-, latera versus aureo-tomentosum. Palpi nigri, holosericei. Antennae nigrae, holosericeae, articulo primo et secundo basi, tertio toto testaceo. Thorax triqueter, vix longior quam latior, lateribus fere rectis, basi profunde bisinuatus, angulis posticis acutis, retrorsum productis humerosque amplectentibus, lobo medio apice truncato: supra crebre punctulatus, medio profunde et late canaliculatus, sulco apicem versus evanescente, supra fusco-, lateribus et infra aureo-tomentosus. Scutellum rotundato-quadratum, fusco-tomentosum. Elytra elongata, basi thorace vix latiora, lateribus ultra medium usque rectis, deinde dilatatis, apice singulatim et late rotundata nec non leviter dehiscentia: sutura costisque duabus longitudinalibus basi calloso-elevatis, retrorsum sensim evanescentibus, interjectis posterioribus nonnullis minus elevatis: subtiliter rugulosa, a basi ultra medium usque aureo-tomentosa, colore flavo secundum marginem externum longius producto, retrorsum fusca, holosericea, cupreo-micantia. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctatum, fusco-pubescens. Pedes nigri, femoribus, tibiis nec non tarsorum articulis basi ferrugineis: tibiae anticae cum tarsis totae ferrugineae. Coxae anticae sicut femora anteriora subtus aureo-pilosa.

Specimen unicum, in Brasilia captum, observavi.

Genus 6. Euctenia.

Antennae articulis 5 primis simplicibus.
Palpi maxillares articulo 2 longissimo, arcuato.
Ligula profunde biloba.
Palpi labiales articulo 2 longissimo, clavato.
Tibiae omnes bispinosae.
Unguiculi pectinati.

Corpus oblongum, retrorsum attenuatum. Caput breviter ovatum, vertice convexo, thoracis marginem anteriorem superante. Oculi laterales, reniformes. Antennae in sinu oculorum, sub crista brevi, admodum

elevata insertae, articulis 1—5 simplicibus, primo oblongo, sequentibus duobus conjunctis fere aequali, tertio quartoque brevissimis, transversis, 6—11 in mare ramum longissimum emittentibus. Clypeus brevissimus, truncatus. Labrum emarginatum. Mandibulae elongatae, arcuatae, margine interno integro. Maxillae lamina utraque cornea, apice rotundata. Palpi maxillares articulo 2 longissimo, arcuato, 3 et 4 longitudine subaequalibus, 4 subulato, apice truncato. Mentum transversum, margine antico bipartito. Ligula biloba, lobis rotundatis, distantibus. Palpi labiales articulo 2 longissimo, apice clavato, 3 hoc dimidio breviore, subulato, apice truncato. Thorax trapezoideus, dorso fere deplanatus. Elytra oblonga, retrorsum sat fortiter attenuata. Pedes simplices: tibiae omnes apice bispinosae; tarsorum articuli basales atque terminales elongati, intermedii oblongi. Unguiculi pectinati.

1. Euct. sericea. *Oblonga, nigra, sericea, abdomine, tibiis elytrisque castaneis.* *Long.* $4\frac{1}{2}$ *lin.*
♂

Caput crebre punctatum, fronte linea media abbreviata laevi, vertice satis convexo, sulco lato bipartito. Os piceum. Antennae nigrae. Thorax tertia fere latior quam longior, trapezoideus, lateribus fere rectis, basi sat profunde bisinuatus, angulis posticis rotundatis, retrorsum non productis, lobo medio leviter rotundato: supra confertim punctatus, griseo-pubescens, impressionibus nonnullis obsoletis, una discoidali, ceteris basalibus. Scutellum oblongo-quadratum, apice rotundatum, subtiliter rugulosum. Elytra basi thorace paullo latiora, lateribus ex basi sensim attenuata apiceque singulatim rotundata: castanea, subtiliter rugoso-punctulata, subnitida, pube grisea leviter vestita, costis nonnullis longitudinalibus disci parum elevatis. Corpus subtus punctulatum, sericeum, nigrum, abdomine castaneo. Pedes nigri, tibiis castaneis.

Habitat Novam Hollandiam.

Genus 7. Ptilophorus.

Ptilophorus Dejean Cat.
Pelecotoma Fisch. Latr. Encycl.
Evaniocera Guérin.

Antennae articulo 3 in mare in processum dilatato.
Palpi maxillares articulo 4 longissimo, subulato.
Ligula subcordata.
Palpi labiales articulis 2 ultimis elongatis.
Tibiae omnes bispinosae.
Unguiculi pectinati.

Corpus oblongum. Caput ovatum, convexum, vertice parum elevato, rotundato. Clypeus elongatus, apice truncatus. Oculi magni, ovati, medio marginis anterioris profunde excisi. Antennae articulo primo oblongo, apicem versus dilatato, secundo brevissimo, tertio in mare processum plus minusve longum emittente, ceteris in mare longe pectinatis, in femina serratis. Labrum parum prominens, apice leviter rotundatum. Mandibulae elongatae, apice bifidae. Maxillae lamina utraque cornea, externa elongata. Palpi maxillares articulis tribus ultimis elongatis, ultimo praecedentibus duobus conjunctis longitudine fere aequali, subulato: articulo tertio secundo dimidio fere breviore. Mentum subcutaneum, trapezoideum, ligula subcordata. Palpi labiales articulis secundo tertioque elongatis, longitudine subaequalibus, tertio subulato. Thorax truncato-triqueter, basi profunde bisinuatus, apicem versus gibbus. Elytra retrorsum attenuata. Pedes minus elongati, tibiis omnibus bispinosis. Tarsorum anteriorum articuli 2—4 abbreviati, posticorum articulis 1 et 4 longitudine fere aequalibus, 2 et 3 his dimidio brevioribus. Unguiculi pectinati.

Annot. Ill. Guérin (Genera des Insectes 1 Livr., No. 2. pl. 2) nomen genericum a Dejeanio institutum sine caussa in Evanioceram permutavit: nihilominus illud, non solum melius sonans, sed etiam magis propagatum restituendum esse existimo. Ceterum icones partium singularum, ab auctore descriptioni additae, parum accurate delineatae apparent, quum e. c. ligulae pars anterior subcordata prorsus deficiat.

1. Ptil. pruinosus. *Fuscus, opacus, cinereo-pubescens, pedibus dilutioribus: thoracis lateribus vittisque duabus dorsalibus cinereis, elytris irregulariter cinereo-variegatis: antennarum articulo tertio ramum longissimum emittente. Long. 4 lin.*

♂

Corpus oblongum, retrorsum attenuatum, dense cinereo-pubescens. Caput parvum, crebre punctatum, fronte fusco-, vertice griseo-piloso. Os nigrum. Antennae fuscae, articulo primo magno, subtriquetro, tertio praecedente duplo longiore et in ramum longissimum, sequentibus subaequalem dilatato. Thorax truncato-triqueter, longitudine latior, basi profunde bisinuatus, angulis posticis acutis, lobo medio his longiore, truncato: supra convexus, confertim punctatus, fusco-pubescens, lateribus vittisque duabus dorsalibus, retrorsum dilatatis, cinereis. Scutellum magnum, rotundato-triquetrum, crebre punctatum, fusco-pubescens cinereoque marginatum. Elytra basi thorace paullo latiora illoque fere triplo longiora, humeris rotundatis, retrorsum attenuata apiceque singulatim rotundata: supra modice convexa, crebre subtilissimeque rugoso-punctata, pube fusca vestita, maculis cinereis irregulariter variegata. Pedes rufo-brunnei, griseo-pubescentes.

Habitat Novam Hollandiam.

2. Ptil. nervosus. *Oblongus, niger, griseo-pubescens, thorace medio baseos profunde emarginato: elytris rufo-brunneis, basi, sutura strigisque quatuor longitudinalibus dense albido-pilosis: antennarum articulo tertio simplici, transverso. Long. $3\frac{3}{4}$ lin.*

var. a. Abdomine pedibusque rufo-brunneis.

♂

Praecedente paullo brevior, retrorsum fortius attenuatus. Caput magnum, nigrum, crebre subtiliterque punctatum, medio fusco-, lateribus cinereo-pilosum: fronte leviter carinata, vertice elevato, subcompresso. Mandibulae palpique picei. Antennae rufo-brunneae, articulo primo nigricante, subtriquetro, secundo tertioque brevissimis, transversis, subaequalibus. Thorax longitudine latior, antrorsum attenuatus, lateribus leviter flexuosis, basi profunde bisinuatus, angulis posticis retrorsum productis, lobo medio ante scutellum profunde emarginato: supra admodum convexus, confertim punctatus, pube fusca illamque tegenti cinerea vestitus. Scutellum oblongo-quadratum, postice rotundatum, subtiliter rugulosum, cinereo-pilosum. Elytra basi thorace perspicue latiora illoque fere triplo longiora, humeris elevatis, rotundatis, retrorsum sat fortiter attenuata, apice singulatim rotundata ibique fasciculo pilorum fuscorum brevi ornata: supra subtilissime punctulata, rufo-brunnea, basi, sutura strigisque quatuor longitudinalibus, retrorsum cum sutura confluentibus basinque versus sensim evanescentibus dense albido-pilosis. Corpus subtus nigrum, griseo-pubescens, abdomine interdum rufo-brunneo. Pedes fusci, pubescentes, rarius rufo-brunnei.

Habitat Novam Hollandiam.

3. Ptil. Dufourii. *Oblongus, subparallelus, fuscus, griseo-pubescens, elytris tarsisque castaneis: thorace confertim punctato, dorso canaliculato, elytris ruguloso-punctatis, obsolete costatis: antennarum articulo tertio (♂) in spinam brevem dilatato. Long. 2—4 lin.*

♂ *Fronte ovaliter impressa, in impressione dense fusco-pilosa.*

♀ *Fronte area media longitudinali laevi, nitida.*

Ptilophorus Dufourii. Dejean Cat.

Pelecotoma Dufourii. Latr. Nouv. Dict. d'hist. nat. 2. éd. XXV, pag. 135. — Encycl. méth. X, pag 32. — Castelnau, Hist. nat. d. Ins. Coléopt. II. pag. 262, No. 2.

Evaniocera Dufourii. Guérin, Gen. d. Ins. No. 2. Pl. 2.

Pelecotoma Friwaldszkyi. Guérin, Iconogr. du règne animal, pl. 34, fig. 6.

*Ptilophorus Friwaldszkyi. *Sturm Cat.*

Pelecotoma sericeum. Stéven i. lit.

Pelecotoma Stevenii Fischer. Bull. d. nat. de Moscou, I, 1829, pag. 369.

var a. Elytris tarsisque concoloribus.

*Evaniocera Boryi. *Lucas, Explor. scientif. de l'Algérie, anim. artic. II, pag. 382, No. 995. Coléopt. Pl. 32. fig. 9.*

♂ ♀

Corpus oblongum, subparallelum, nigro-fuscum, dense pubescens. Caput mediocre, crebre et sat for-

titer punctatum, fronte convexa, fusco-pilosa, vertice subcompresso, pilis griseis vestito. Mandibulae palpique picei. Antennae fuscae vel nigricantes, articulo tertio (in ♂) secundo longiore intusque in processum spinosum dilatato. Thorax longitudine latior, antrorsum fortiter attenuatus, lateribus leviter rotundatus, angulis posticis acuminatis, extus nec non retrorsum versis, lobo medio his longiore, apice rotundato: supra gibbus, crebre ruguloso-punctatus, griseo-pubescens, tenuiter sed sat profunde canaliculatus, sulco apicem versus evanescente. Scutellum rotundato-quadratum, disperse punctulatum, griseo-pubescens. Elytra basi thorace paullo latiora illoque fere triplo longiora, humeris elevatis, lateribus subparallela, dilute castanea, subtiliter ruguloso-punctata, pube sericea disco densius, latera et apicem versus parcius vestita, costis nonnullis longitudinalibus obsoletis. Corpus subtus crebre subtiliterque punctatum, griseo-pubescens. Pedes nigricantes, tarsis — interdum etiam tibiis anticis — rufo-brunneis.

In mare frons impressionem praebet ovalem, pilis erectis, fuscis dense obsitam: in femina contra magis deplanata apparet areaque media, tenui, nitida signata est.

In var. a. elytra, apice limboque laterali exceptis, sicut pedes toti nigricantes apparent.

Haec species non solum Europae meridionalis, sed etiam Africae septemtrionalis propria esse videtur: specimina enim Lusitaniae, Hispaniae, Galliae meridionalis, Hungariae, Graeciae, Rossiae meridionalis, Algeriae observationi patent. Quae omnia non talia praebent discrimina, quibus complures in species separari possint: discrepant enim nonnisi pubescentia plus minusve densa staturaque majore vel minore. Specimina Algeriae, ab Ill. Lucas nomine Evaniocerae Boryi descripta, et ipsa colore tantum obscuriore atque statura majore abhorrent.

4. Ptil. capensis. *Oblongus, subparallelus, niger, griseo-pubescens, elytris, thoracis angulis posticis, palpis, antennis pedibusque rufo-brunneis: thorace subtilissime punctato, dorso non canaliculato. Long. 3—3½ lin.*

♀

Praecedenti simillimus et forte varietas tantum localis: attamen specimina dua feminina, observationi subjecta, compluribus rebus ab Europaeis constanter differre videntur. Palpi, antennae, pedes toti, thoracis anguli postici, elytra, annulorum abdominalium margines laete rufo-brunnei. Caput paullo brevius, area frontali abbreviata, ovata, subtiliter rugulosa minusque nitida. Thorax latior, antrorsum minus attenuatus, supra admodum gibbus, crebre subtilissimeque punctatus, dorso non canaliculatus. Cetera ut in Ptil. Dufourii.

Habitat Promontorium Bonae Spei.

5. Ptil. Fischeri. *„Oblongus, fusco-piceus, griseo-pubescens, elytris basi rufescentibus: fronte laevissima, polita: thorace creberrime profunde punctato, elytris dense subtilius punctulatis, obsolete costatis: antennis in femina tenuibus, serratis tarsisque ferrugineis. Long. 5 lin.“*

Evaniocera Fischeri. Ménétr. Mém. de l'acad. de St. Petersb. VI, pag. 245.

Species mihi ignota, quae secundum descriptionem auctoris Ptil. Dufourii admodum affinis esse videtur. Capta est ad Novaïam Alexandrowskaïam.

Num hujus loci?:

Genus 8. Ctenidia.

Ctenidia Castelnau.

„Caput rotundatum, antrorsum attenuatum. Oculi magni, ovati, non emarginati. Antennae longitudine fere capitis thoracisque, inter oculos insertae; articulo primo magno, secundo mediocri, tertio quartoque transversis, ceteris in mare ramum longum emittentibus, in femina in processum breviorem dilatatis. Labrum oblongo-quadratum, angulis rotundatis. Mandibulae validae, breves, arcuatae. Palpi maxillares articulo primo brevi, secundo longo, tertio mediocri, ultimo triangulari. Thorax oblongo-quadratus, antrorsum non attenuatus, supra scutellum prolongatus. Scutellum parvum, triquetrum. Elytra thorace angustiora, retrorsum attenuata, apice acuta, alas obtegentia. Abdomen admodum compressum, 5 articulatum. Pedes anteriores graciles, postici femoribus dilatatis: tibiae anticae bispinosae. Tarsi anteriores longi, graciles, articulo primo longo, ceteris sen-

sim brevioribus: posteriores dilatati, articulo primo longo, tertio secundo paullo breviore nec non graciliore: Unguiculi bifidi."

Genus mihi ignotum, quod, quamquam compluribus characteribus abhorret, hujus tribus generibus maxime tamen affine esse videtur. Unguiculis quidem apice bifidis, oculisque non emarginatis Rhipiphorinis attribuendum esse videtur: nihilominus vero antennarum structura, scutello aperto, elytris totum corpus tegentibus majorem praebet affinitatem cum Ptilophorinis.

1. Cten. mordelloides. *„Nigra, pubescens, thorace disco biimpresso, elytris olivaceis, sutura margineque externo nigris. Long. $2\frac{2}{3}$ lin."*

Ctenidia mordelloides. Castelnau, Hist. nat. d. Ins. Coléopt. II. pag. 261.

Species mihi ignota, quae Caffrariam habitat.

Tribus II. Rhipidiini.

Femina aptera, oculis minutis, antennis filiformibus.
Mas: Antennae pectinatae, articulis 3 primis simplicibus.
Oculi permagni, totum fere caput occupantes.
Oris partes rudimentariae.
Elytra abbreviata.
Unguiculi simplices.

Genus 9. Rhipidius.

Ripidius Thunberg.
Symbius Sundevall.

Characteres tribus, supra citati.

Mas. Caput globosum, vertice plano, fronte lineari. Antennae in media fronte insertae, basi oculis inclusae: articulo primo cuneiformi, crasso, secundo tertioque transversis, ceteris ramum longissimum emittentibus. Oculi totam anteriorem et inferiorem capitis faciem occupantes, subtus contigui, supra fronte tantum lineari separati, os basinque antennarum circumdantes. Superficies oculorum fortiter granulata. Os rudimentarium, mandibulis maxillisque non conspicuis: fronti enim anterius triangulariter dilatatae fissura transversa praejacet, quae lamina transversa terminatur: qua sub lamina palpi duo biarticulati, articulo basali minuto, terminali elongato compositi, ortum capiunt. Thorax antrorsum attenuatus, basi leviter bisinuatus, dorso deplanatus. Scutellum magnum, transversum. Elytra abbreviata, retrorsum attenuata, per totam longitudinem dehiscentia. Abdomen 8articulatum, teres, elongatum. Coxae anticae elongatae; pedes simplices, tibiis apicem versus paullisper dilatatis, muticis. Tarsorum*) articuli intermedii breviores: unguiculi simplices.

„Femina aptera, antennis filiformibus, oculorum rudimento." Sundevall.

Divisio I.

Antennae 11 articulatae.

1. Rhip. blattarum. *Piceus, nitidulus, pubescens, antennarum medio femoribusque testaceis: capite thoraceque nigris, opacis, hoc latissimo, rugoso-punctato. Long. $1\frac{1}{2}$ lin.*

Ripidius pectinicornis. Thunberg. Kongl. Vetensk. Academ. Nya Handling. XXVII. 1806. *pag.* 5. *Taf. II. fig.* 1—5.
Symbius blattarum. Sundevall. Isis 1831. *pag.* 1222.
Ripidius blattarum. Redtenbacher. Faun. Austr. pag. 612.
Ripiphorus anceps. Stephens. Illustr. Brit. Entom. V. Append. pag. 427.

♂

*) Ill. Sundevall tarsos omnes 5articulatos dicit, quum postici sicut in ceteris generibus articulis quatuor compositi sint

Caput granulatum, nigrum, opacum, griseo-pubescens. Antennae testaceae, articulo primo flabellisque apice fuscis. Thorax longitudine duplo latior, antrorsum fortiter attenuatus, lateribus profunde emarginatis, apice leviter rotundatus, basi bisinuatus, angulis posticis obtusis: confertim subtiliterque rugoso-punctatus, medio subcarinatus, niger, opacus, griseo-pilosus. Scutellum rugulosum, subnitidum. Elytra thorace vix duplo longiora, apicem versus oblique truncata, convexa, subtiliter alutacea, dilute picea, griseo-pilosa, subnitida. Abdomen piceum, punctulatum, pubescens. Pedes dilute fusci, femoribus tibiarumque basi testaceis.

Habitat Indiam orientalem, Europam.

2. Rhip. natalensis. *Fuscus, nitidulus, pilosus, femoribus dilute stramineis: thorace truncato-triquetro, disco leviter impresso. Long.* $1\frac{3}{4}$ *lin.*

♂

Praecedente paullo longior multoque gracilior. Caput punctulatum, fusco-pilosum, nigro-piceum, subnitidum. Antennae fuscae, flabellis basi dilutioribus. Thorax dimidio fere latior quam longior, antrorsum attenuatus, margine antico lateribusque rectis, basi bisinuatus, angulis posticis acutis: supra crebre punctulatus, disco subimpressus, fuscus, nitidulus. Scutellum punctulatum, nitidulum. Elytra thorace plus duplo longiora, apicem versus sensim attenuata, perspicue rugoso-punctata, fusca, nitidula. Abdomen fuscum, nitidulum, punctatum. Pedes fusci, femoribus coxisque dilute stramineis.

Habitat Africam meridionalem. (Port Natal.)

Divisio II.

Antennae 10 articulatae.

3. Rhip. lusitanicus. *Fuscus, opacus, griseo-pilosus, thorace oblongo, disco bifoveolato, elytris intus fortiter emarginatis, apice rotundatis. Long.* $1\frac{1}{2}$ *lin.*

♂

Caput subtiliter granulatum, fuscum, griseo-pilosum. Antennae fuscae, griseo-pilosae, articulo tertio cum basi quarti connato, sequentium sex ramis apicem versus dilatatis, foliaceis. Thorax latitudine longior, antrorsum attenuatus, medio baseos leviter emarginatus, angulis posticis obtusis: dorso obsolete canaliculatus, disco bifoveolatus, alutaceus, fuscus, opacus. Elytra thorace fere dimidio longiora, dilute fusca, subpellucida, pube tenui, grisea vestita, intus fortiter emarginata, apice dilatata, rotundata. Corpus subtus cum pedibus fuscum, griseo-pilosum.

Habitat Lusitaniam.

Tribus III. Myoditini.

Antennae maris biseriatim, feminae uniseriatim flabellatae.
Oculi ovati.
Scutellum apertum.
Elytra abbreviata.
Alae exsertae.
Coxae distantes.
Unguiculi pectinati.

Genus 10. Myodites.

Myodites Latr. Encycl.
Ripiphorus Fabr. Oliv.
Mordella Giorna.
Dorthesia Say.

Antennae ♂ 11-, ♀ 10 *articulatae.*
Maxillae lamina interna nulla.

Palpi maxillares articulo 2 longissimo.
Ligula subtriquetra.
Palpi labiales articulo ultimo acuminato.
Mesosternum cum metasterno connatum.

Caput transversum, fronte latissima, plana, vertice gibbo, rotundato, fronte multo angustiore, thoracis marginem anteriorem superante. Clypeus rotundatus, medio subsinuatus. Oculi laterales, ovati, convexi, prominentes. Antennae late distantes, supra oculos insertae, breves, articulis duobus primis in utroque sexu simplicibus; primo subquadrato, altero transverso. In mare articulis 11 compositae apparent, articulis singulis brevissimis, utrinque ramum longissimum emittentibus: articulo ultimo longissimo, ramis praecedentium longitudine aequali. In femina contra 10 tantum articulos praebent, quorum 3—9 ramo apicem versus sensim breviore instructi sunt, ultimus vero elongatus, cum basi praecedentis connatus est: qua re fit, ut antennae feminae quasi 9 articulatae appareant, articulo ultimo ad basin usque fisso.*) — Labrum absconditum, elongatum, apice rotundatum. Mandibulae acutissimae, margine interno integro. Maxillae submembraneae, lamina interna nulla, externa apice cornea. Palpi maxillares graciles, articulis singulis apice truncatis, secundo sequentibus duplo longiore. Mentum subquadratum. Ligula basi cornea, apice membranea, subtriquetra. Palpi labiales articulo secundo ultimo fere duplo longiore, hoc apice acuminato. Thorax antrorsum attenuatus, convexiusculus, basi rotundatus. Scutellum magnum, apertum, subtriquetrum. Elytra rudimentaria, dehiscentia, thorace multo breviora. Abdomen 5 articulatum, pygidio fere verticali. Sternum latissimum, meso- et metasterno connatis**). Coxae anteriores late distantes. Pedes minus elongati, tibiis apicem versus sensim dilatatis, bispinosis. Tarsorum articulus basalis atque terminalis elongatus, intermedii breviusculi. Unguiculi pectinati.

1. Myod. subdipterus. *Niger, punctulatus, nitidus, subtiliter griseo-pubescens, antennis, elytris pedibusque testaceis, femoribus posticis concoloribus. Long.* $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$ *lin.*

♀ *Abdomine croceo, ano antennisque fuscis.*

Myodites subdipterus. Encycl. méth. X. pag. 292. — *Castelnau. Hist. nat. d. Ins. Coléopt. II. pag.* 262. — *Curier, Règne animal. nouv. édit. Pl.* 53 *bis. fig.* 6. — *Dejean. Cat.*

Ripiphorus subdipterus. Fabr. Ent. syst. II, pag. 109. *No.* 1. — *Syst. El. II, pag.* 118. *No.* 1. — *Oliv. Entom. III. No.* 65. 1. *Pl.* 1. *fig.* 1. — *Panzer, Faun. Ins. Germ.* 97. *No.* 7.

Myodites Dorthesii. Latr. Nouv. Dict. d'hist. nat. 2. *édit. XXII. pag.* 131.

Mordella ambigua. Giorna. Mém. de l'acad. d. scienc. de Turin VII, pag. 223. *Pl.* 2, *fig.* 3—4.

♂ ♀

Caput disperse punctulatum, nigrum, nitidum, pube erecta grisea vestitum: fronte longitudinaliter subimpressa, supra convexiuscula, infra deplanata. Palpi testacei. Antennae maris croceae, flabellis apice interdum infuscatis, feminae fuscae, rarius pro parte flavescentes. Thorax antrorsum attenuatus, basi fortiter rotundatus, disperse subtiliterque punctatus, disco leviter impressus et in impressione fovea rotunda signatus, griseo-pubescens, niger, nitidus. Scutellum rugulosum. Elytra dilute testacea, nitida, basi densius, apicem versus vage punctulata: margine interno profunde sinuato, apice late rotundato. Abdomen crebre sed parum profunde punctatum, nitidum, nigrum in mare, in femina croceum, apice infuscato. Pedes testacei, femoribus posticis nigricantibus, anterioribus basi infuscatis.

Habitat Europam meridionalem Asiamque minorem.

2. Myod. caffer. *Niger, punctatus, subnitidus, griseo-pubescens, antennis, elytris pedibusque anticis testaceis. Long.* 2—$2\frac{1}{2}$ *lin.*

♀ *Abdomine croceo, apice nigro, antennis pedibusque anticis piceis.*

♂ ♀

Praecedenti simillimus, sed dimidio fere minor fortiusque punctatus. Caput perspicue et sat crebre

*) Ill. de Castelnau antennas utroque in sexu articulis 11 compositas esse affert: nec minus in errore versatus est, quum articulos quatuor primos simplices (i. e. ramis expertes) esse dicit.

**) Quae sterni conformatio ab omnibus hujus familiae generibus prorsus abhorret.

punctatum. fronte longitudinaliter impressa. Os rufo-piceum. Antennae maris testaceae, flabellis apice infuscatis, feminae piceae. Thorax, praecipue in mare, latitudine paullo longior, antrorsum attenuatus, basi rotundatus, disco foveolatus, perspicue et sat crebre, retrorsum etiam ruguloso-punctatus, niger, subnitidus. Scutellum dense granuloso-punctatum. Elytra dimidiae fere thoracis longitudinis, dilute testacea, nitida, disperse subtilissimeque punctata, macula humerali fusca. Abdomen crebre et sat profunde punctatum, nigrum in mare. in femina croceum, apice nigro. Pedes picei, antici in mare flavi.

Habitat Caffrariam.

3. Myod. fasciatus. *Niger. punctatissimus, griseo-pubescens, antennarum basi, pedibus anticis elytrisque dilute fuscis, his regione scutellari apiceque flavescentibus. Long.* $1\frac{1}{2}$ *lin.*

Dorthesia fasciata Say, Journal of the academy of natural sciences of Philadelphia. Vol. III, pag. 274.

Myodites americanus Guérin, Dict. class. d'hist. nat. XI, pag. 369. — Iconogr. du règne animal, Pl. 34, fig. 5.

Myodites stylopides Newman, Entomol. Magazine. Tom. V, pag. 376.

var. a. Antennis flavescentibus.

Dorthesia flavicornis Say (?) Journal of the acad. of nat. sc. of Philad. Vol. III, pag. 274.

♀

Praecedente multo minor. corpore confertim punctato bene distinctus. Caput rugoso-punctatum, fronte inter oculos irregulariter impressa. Mandibulae rufescentes, palpi picei. Antennae nigro-fuscae, articulo basali piceo. Thorax latitudine dimidio brevior. antrorsum sat fortiter attenuatus, lateribus fere rectis, basi rotundatus ibique medio subdepressus, angulis posticis subelevatis. rotundatis: supra crebre subtiliterque rugoso-punctatus, impressione irregulari disci anteriore callisque duobus posterioribus obliquis laevibus. Scutellum confertim rugoso-punctatum. Elytra thorace tertia fere breviora, basi crebre, apicem versus vage punctata, in interstitiis subtilissime alutacea. picea. regione scutellari apiceque flavescentibus. Abdomen nigrum, nitidum, thorace fortius sed minus crebre punctatum, griseo-pubescens. Pedes anteriores picei vel flavescentes. postici nigri.

Habitat Americam septentrionalem.

4. Myod. scaber. *„Ater, confertim punctatus, vertice elevato, thorace utrinque truncato, medio obsolete carinato. elytris parce punctatis abdomineque flavis. Long.* $1\frac{1}{2}$ *lin.“*

Le Conte. Proceed. acad. nat. sc. of Philad. VI. pag. 67.

Species mihi ignota. Americae septentrionalis incola.

Tribus IV. Rhipiphorini.

Antennae maris biseriatim. feminae uniseriatim flabellatae vel serratae
Oculi ovati.
Scutellum obtectum.
Elytra dehiscentia, acuminata.
Alae exsertae.
Coxae approximatae.
Unguiculi apice bifidi.

Genus 11. Metoecus.

Metoecus Dejean Cat.
Ripiphorus Fabr. Oliv.
Mordella Lin. Payk.

Maxillae lamina utraque minutissima.
Palpi maxillares articulo 4 longissimo.
Palpi labiales articulis connatis.
Tibiae anticae muticae.
Tarsi postici articulis singulis elongatis, cylindricis.

Caput transversum, compressum, fronte brevissima, verticali, vertice deplanato, carina transversa acuta a fronte separato: clypeus antrorsum attenuatus, truncatus. Oculi ovati, laterales, admodum convexi. Antennae mediocris longitudinis, ad latera carinae, qua frons a vertice separatur, insertae: articulo primo elongato, subcylindrico, secundo brevissimo, transverso, ceteris oblongis, inter se aequalibus, in mare ramis duobus longissimis lateraliter distantibus, in femina ramo interno, breviore instructis. Labrum rotundatum, prominens. Mandibulae apice acuminatae, extus perspicue excavatae, margine interno integro. Maxillae rudimentariae, membraneae, lamina utraque minutissima. Palpi maxillares elongati, articulis singulis apicem versus dilatatis, truncatis, ultimo ceteris multo longiore, fortius truncato. Mentum angustum: ligula apice sinuata, palpis terminalibus. Palpi labiales subcylindrici, apice truncati, articulis inter se connatis. Thorax antrorsum attenuatus, dorso profunde canaliculatus, basi trilobus, lobo medio scutellum obtegente. Elytra elongata, deplanata, dehiscentia, acuminata. Abdomen 6articulatum, annulis posterioribus non retractis. Pedes elongati, graciles: femora antica subtus pone medium tuberculo valido instructa, apicemque versus profunde emarginata: tibiae subcylindricae, anticae muticae, posteriores bispinosae, spina interna paullo longiore. Tarsi antici posterioribus breviores: articuli omnes elongati, cylindrici. Unguiculi apice bifidi.

Species unica Europaea saepius in nidis vesparum occurrit.

1. Met. paradoxus. *Niger, subtiliter pubescens, thoracis lateribus, abdomine elytrisque ferrugineis. Long. 4—6 lin.*

♀ *Thoracis angulis posticis abdomineque ferrugineis, hoc apice nigricante.*

Metoecus paradoxus. Dejean Cat.

Mordella paradoxa. Lin. Syst. nat. pag. 682. No. 1. — Lin. Faun. Suec. pag. 228. No. 831. — Fröhl. Naturf. XXVI, 164, 92. — Payk. Faun. Suec. II, pag. 177. No. 1. — Rossi Faun. Etrusc. I, pag. 300, No. 603. — Panzer Faun. German. Heft 26, Taf. 14. — Marsh. Col. Britan. I. pag. 491, No. 9.

Ripiphorus paradoxus. Fabr. Ent. syst. II, pag. 111, No. 5. — Syst. El. II, pag. 119, No. 6. — Oliv. Entom. III, No. 65, pag. 7, Pl. 1, Fig. 7. — Encycl. meth. X, pag. 291. — Gyllenh. Ins. Suec. II. pag. 619, No. 1. — Casteln. Hist. nat. d. Ins. Coléopt. II. pag. 261. — Stephens. Illustr. Brit. Entom. V. pag. 51. — Redtenbacher Faun. Austr. pag. 612.

Ripiphorus angulatus. Panz. Faun. Germ. 90, Fig. 3.

var. a. ♀. *Thoracis angulis posticis, elytrorum basi, sutura anteriore abdomineque testaceis, hoc lateribus nigro-punctato.*

♂ ♀

Caput minutum, nigrum, subnitidum, subtiliter alutaceum. Palpi fusci. Antennae nigrae. Thorax latitudine paullo longior, antrorsum leviter attenuatus, lateribus subrotundatis, angulis posticis fortiter extrorsum productis, acutis, humeros amplectentibus, lobo scutellari rotundato-triquetro: supra modice convexus, profunde ac late canaliculatus, sulco apicem versus evanescente: subtiliter alutaceus, griseo-pubescens, niger, opacus, angulis posticis late margineque laterali tenuiter ferrugineis. Elytra basi thoracis fere latitudine illoque plus duplo longiora, ante medium dehiscentia, retrorsum singulatim acuminata: supra fere deplanata, longitudinaliter subcostata, subtiliter alutacea, pube grisea parce obsita, ferruginea, apice extremo nigro. Corpus subtus nigrum, pubescens, abdomine apice excepto rufo-ferrugineo. Pedes nigri, tibiarum spinis unguiculisque ferrugineis.

Femina a mare differt elytris nigro-fuscis, abdomine latius nigro-terminato, thorace anterius non ferrugineo-marginato: quam Ill. Panzer sub nomine Rhipiphori angulati descripsit atque delineavit.

Sed non raro individua feminina occurrunt, quae colorum distributione majorem cum maribus similitudinem praebent: in his enim basis elytrorum nec non suturae pars anterior testaceae apparent, vel elytra

testacea sunt, vitta laterali anterius abbreviata, fusca. Talium vero speciminum abdomen pallide flavum lateribusque irregulariter punctis nigris adspersum esse solet.

Habitat Europam.

Genus 12. Rhipiphorus.

Ripiphorus. Fabr. Oliv. Latr

Mordella. Lin. Rossi.

Emenadia. Castelnau.

Macrosiagon. Hentz.

Maxillae lamina externa valde elongata.
Palpi maxillares articulo 2 longissimo.
Palpi labiales articulo ultimo subulato.
Tibiae anticae unispinosae.
Tarsi postici articulo secundo brevi, compresso

Caput verticale, suborbiculare vel ovatum, vertice plus minusve elevato, thoracis marginem anteriorem superante, compresso, supra rotundato vel acuminato. Clypeus truncatus. Oculi ovati, admodum convexi, laterales, subtiliter areolati. Antennae in interno oculorum latere sub carinula frontis elevata insertae: articulo primo elongato, apice dilatato, secundo brevi, subgloboso, ceteris inter se aequalibus, in femina intus in processum brevem obliquum et saepius apice fissum vel incisum dilatatis, in mare ramis duobus longis, lateraliter distantibus, instructis: articulo ultimo in femina securiformi, in mare elongato. Labrum oblongum, angustum, prominens, apice truncatum vel leviter acuminatum. Mandibulae validae, apice obtusae. Maxillae lamina utraque membranea: interna lanceolata, fortiter acuminata, externa valde elongata, intus dense ciliata, apice cornea. Palpi maxillares articulo secundo longissimo, arcuato, apice dilatato, tertio quartoque longitudine subaequalibus, ultimo subulato, apice subtruncato. Mentum subquadratum, apicem versus leviter attenuatum: ligula elongata, angusta, membranea, apice fissa, cornea. Palpi labiales articulo secundo tertioque longitudine subaequalibus, leviter arcuatis, ultimo subulato, apice truncato. Thorax antrorsum attenuatus, basi trilobus, lobo medio (quem hac ex caussa „scutellarem" dicimus) scutellum obtegente, saepius elevato nec non apice excavato. Elytra retrorsum attenuata, intus plus minusve dehiscentia, apice acuminata vel subtruncata, supra deplanata vel leviter tantum convexa. Alae exsertae. Abdomen subcylindricum, annulis posterioribus in speciminibus exsiccatis semper retractis, unde truncatum apparet. Pedes elongati, graciles: femora antica apicem versus subtus emarginata. Tibiae apicem versus dilatatae: anticae unispinosae, posteriores bispinosae, spina interna longiore. Tarsi antici et postici mediis breviores: anticorum articulis 2—4 abbreviatis, 1 et 5 his triplo longioribus: mediorum articulis omnibus elongatis, primo secundo duplo longiore: posticorum articulis 1 et 2 subcompressis, 3 et 4 cylindricis, articulo 2 ceteris semper breviore, saepius triangulariter dilatato. Unguiculi apice profunde bifidi.

Annotatio 1. Immerito Ill. de Castelnau Fabriciano huic generi nomen Emenadiae attribuit, „Rhipiphorum" Metoeco nostro paradoxo conservans. Quum enim inter numerosas species Fabricianas duae tantum generice a ceteris abhorreant (quae sunt R. subdipterus et paradoxus), majori numero nomen Rhipiphori attribuendum illisque duabus nova nomina generica creanda esse existimo.

Annotatio 2. Rhipiphorum dimidiatum Fabr. proprii generis typum esse voluit Hentz (Transact. of the Americ. philos. society, new ser. Vol. III. pag. 462): sed quum maxillarum longitudo, qua praecipue genus illud significetur, exigui tantum momenti sit in Rhipiphoris, — magna enim exstat secundum species variatio — non possum quin divisionem illam Hentzianam „Macrosiagon" rejiciam.

Annotatio 3. Quod ad specierum hujus generis determinationem pertinet, hoc praecipue monendum est, quod plurimae magnae colorum variationi subjectae sunt: praecipue autem abdominis nec non pedum color parum constans apparet. Hac ex caussa complures species ex brevibus priorum auctorum descriptionibus, quae praeter colorum distributionem nihil continent, recte judicare atque cognoscere difficillimum erat.

Divisio I.

Thoracis lobus scutellaris plus minusve erectus, apice excavatus. Corpus plerumque breve, robustum.

a) Elytra acutissima.

1. Rhip. spinipennis. *Niger, opacus, punctatissimus, sericeus, palpis, antennarum basi elytrisque ferrugineis: his basi infuscatis, retrorsum in spinam longam acutissimam productis. Long.* $5\frac{1}{2}$ *lin.*

♀

Corpus robustum, subcylindricum, retrorsum vix attenuatum. Caput ovatum, punctatissimum, supra griseo-pubescens, fronte inter oculos biimpressa, vertice elevato, compresso, apice acute carinato, occipite dense villoso. Mandibulae piceae, apice nigro: palpi ferruginei. Antennae nigro-fuscae, articulo basali ferrugineo. Thorax latitudine longior, antrorsum attenuatus, apice truncatus, angulis posticis rectis, obtusis, lobo scutellari subtriquetro, elevato, apice retrorsum profunde excavato et in excavatione carina elevata instructo: supra globosus, basin versus deplanatus nec non utrinque obsolete impressus, niger, opacus, punctatissimus, griseo-pubescens. Elytra basi thoracis latitudine illaque duplo longiora, intus per totam longitudinem dehiscentia, retrorsum fortiter attenuata et in spinam acutissimam producta: supra deplanata, humeris nec non regione scutellari calloso-elevatis: basi marginibusque fortiter, disco subtilius et remote punctata, glabra, nitida, ferruginea, regione scutellari lateribusque infuscatis. Corpus subtus nigrum, sericeum, crebre et retrorsum sensim subtilius punctatum, metathorace late, abdominis segmentis tenuiter ferrugineo-marginatis. Pedes picei, tarsis rufescentibus.

Habitat Brasiliae provinciam Parà.

2. Rhip. acuminatus. *Niger, disperse punctatus, glaber, subnitidus, antennis laete croceis: elytris obscure ferrugineis, basi, margine externo nec non apice acutissimo nigris. Long.* 4 *lin.*

♂

Praecedenti similis, sed corpore glabro, disperse punctato nec non retrorsum magis attenuato bene distinctus. Caput rhomboideum, disperse punctatum, nigrum, subnitidum, fronte inter oculos biimpressa, vertice alte elevato, acuminato, apice acute carinato, occipite excavato, rugoso-punctato. Labrum, mandibulae, palpi rufo-brunnei. Antennae laete croceae. Thorax latitudine longior, apicem versus attenuatus, margine antico leviter emarginato, lateribus subrectis, angulis posticis rectis, lobo scutellari rotundato-triquetro, elevato, retrorsum profunde excavato: supra satis convexus, postice deplanatus, basi perspicue biimpressus, disperse punctatus, glaber, subnitidus. Elytra basi thorace paullo angustiora illoque fere duplo longiora, ante medium dehiscentia, retrorsum fortiter attenuata, acutissima: supra deplanata, regione scutellari humerisque calloso-elevatis nec non fortius punctatis, obscure ferruginea, glabra, subnitida, basi, margine externo apiceque nigris. Corpus subtus glabrum, subnitidum, nigrum, fortiter punctatum. Pedes nigri, unguiculis atque spinis tibiarum rufis.

Patria: Brasilia.

b) Elytra acuminata.

3. Rhip. spinosus. *Ater, punctatissimus, glaber, subnitidus, palpis, antennarum basi unguiculisque ferrugineis: elytris fascia basali lata flava. Long.* 4 — $4\frac{1}{2}$ *lin.*

var. a. Abdomine rufo.

*Rip. spinosus. *Fabr. Ent. syst. suppl. pag.* 126, *No.* 3 — 4. *Syst. El. II, pag.* 119, *No.* 4.

♀

Corpus oblongum, antice posticeque subattenuatum, atrum, glabrum, subnitidum. Caput rhomboideum, fortiter rugoso-punctatum, nigrum, subnitidum, fronte fere plana, vertice alte elevato, compresso, apice obtuse carinato nec non obsolete bilobo, occipite leviter convexo. Labrum cum mandibulis piceum; palpi obscure ferruginei. Antennae nigrae, articulis duobus primis ferrugineis, primo medio infuscato. Thorax latitudine longior, apicem versus attenuatus, lateribus flexuosis, angulis posticis acutis, extrorsum versis, lobo scutellari erecto, retrorsum profunde excavato, lamina superiore acutissima: supra modice convexus, antice fortiter declivis, basin versus lateribus subdepressus, crebre atque profunde punctatus, niger, subnitidus. Elytra basi thoracis fere latitudine illaque dimidio longiora, ante medium dehiscentia, retrorsum acuminata, fortiter sed disco minus crebre

punctata, nigra, subnitida, fascia prope basin lata transversa flava, retrorsum extus longius producta. Corpus subtus punctatissimum, nigrum, subnitidum. Pedes nigri, spinis tibiarum unguiculisque ferrugineis.

In var. *a*, quacum typus Fabricianus congruit, abdomen sicut in sequente specie rufum apparet.

Habitat Brasiliam et Americae meridionalis insulas.

4. Rhip. basalis. *Ater, punctatus, glaber, subnitidus, antennarum basi unguiculisque ferrugineis: elytrorum dimidio anteriore stramineo, abdomine laete rufo, apice nigro. Long.* $3\frac{1}{2}$ — 4 *lin.*

♀

Rhip. spinoso simillimus, statura tamen minore, corpore minus crebre punctato, elytrorum fascia flavescente multo latiore distinctus. Caput rhomboideum, atrum, subnitidum, rude punctatum, fronte inter oculos leviter biimpressa, vertice alte elevato, compresso, acuminato. Labrum, mandibulae, palpi picei. Antennae fuscae, articulis duobus primis ferrugineis. Thorax latitudine longior, antrorsum sat fortiter attenuatus, apice subemarginatus, lateribus flexuosis, angulis posticis acutis, extus simulque retrorsum versis, lobo scutellari alte elevato, postice profunde excavato, lamina superiore acuta: supra modice convexus, apicem versus leviter biimpressus, basi sat profunde bifoveolatus, fortiter sed non dense punctatus, glaber, subnitidus. Elytra basi thoracis fere latitudine illaque dimidio longiora, ante medium dehiscentia: supra deplanata, basi margineque externo paullo elevatis, disperse punctata, fusco-nigra, fascia transversa lata straminea, extus longius producta, elytrorum dimidium anterius occupante. Corpus subtus punctatum, atrum, nitidum, abdomine laete rufo, apice nigro. Pedes nigri, nitidi, tibiarum spinis unguiculisque ferrugineis.

Habitat Brasiliam.

5. Rhip. dimidiatus. *Punctatus, niger, glaber, subnitidus, antennarum basi, palpis unguiculisque ferrugineis: elytris testaceis, basi tenuiter apiceque late nigro-fuscis. Long.* $3\frac{1}{2}$ *lin.*

Rip. dimidiatus. **Fabr. Ent. syst. II, pag.* 112, *No.* 10. — *Syst. El. II, pag.* 120, *No.* 16. — *Mant. Ins. I. pag.* 218, *No* 9. — *Oliv Ent. III*, 65, 8. *Pl.* 1, *fig.* 8. — *Enc. meth. X, pag.* 291.

Macrosiagon dimidiatum. Hentz, Transact. Amer. phil. soc. III, 464.

♂ ♀

Rhip. basali vix brevior, sed dimidio angustior, praeterea thoracis lobo scutellari parum elevato et elytris amplius testaceis distinctus. Caput ovatum, disperse punctulatum, glabrum, nitidum, fronte convexiuscula, vertice alte elevato, apice rotundato et obtuse carinato, occipite paullulum excavato, fortius punctato. Labrum cum mandibulis piceum, palpi obscure ferruginei. Antennae nigrae, articulis duobus basalibus laete ferrugineis Thorax dimidio fere longior quam latior, apicem versus leviter attenuatus, lateribus posterius sinuatus, angulis posticis fere rectis nec non extrorsum productis, lobo scutellari parum elevato, postice oblique excavato: supra satis convexus, basin versus deplanatus ibique biimpressus, crebre punctatus, glaber. Elytra basi thoracis fere latitudine illaque duplo longiora, pone medium dehiscentia, acuminata, disco leviter impressa, hic parcius, marginibus densius punctata, testacea, limbo basali tenui maculaque apicali suturam versus longius producta nigro-fuscis. Corpus subtus nigrum, punctatum, nitidum. Pedes nigri, tibiarum spinis unguiculisque ferrugineis.

Habitat Americam septentrionalem.

6. Rhip. affinis. *Niger, glaber, subnitidus, fortiter sed minus crebre punctatus, antennarum basi, palpis unguiculisque ferrugineis: elytris testaceis, basi tenuiter, apice late nigro-fuscis. Long.* $2\frac{1}{2}$ *lin.*

♀

Rhip. dimidiato simillimus, sed paullo brevior, thorace basi magis deplanato atque 4 impresso, elytris acutioribus distinctus. Caput rhomboideum, nigrum, nitidum, inaequaliter punctatum, fronte inter oculos transverse callosa, vertice alte elevato, subcompresso, apice leviter emarginato. Labrum et mandibulae rufo-piceae, palpi ferruginei. Antennae piceae, articulis duobus basalibus apiceque ferrugineis Thorax latitudine dimidio fere longior, antrorsum leviter attenuatus, apice emarginatus, lateribus flexuosis, angulis posticis fere rectis, obtusiusculis, lobo scutellari parum elevato, postice profunde excavato: supra modice convexus, basin versus deplanatus ibique obsolete 4 impressus, fortiter sed non crebre punctatus, glaber, subnitidus. Elytra basi thoracis latitudine illaque plus dimidio longiora, ante medium dehiscentia, apice acutissima, supra deplanata, disco levi-

ter impressa, crebre fortiterque punctata, testacea, margine basali tenui maculaque apicali antice angulatim producta fusco-nigris. Corpus subtus punctatum, nigrum, nitidum; pedes nigri, tibiarum spinis unguiculisque ferrugineis.

Habitat Brasiliam.

7. Rhip. biguttatus. *Punctatus, niger, glaber, subnitidus, antennarum basi palpisque piceis, elytris macula pone humeros subquadrata flava. Long.* $3\frac{2}{3}$ *lin.*

♀

Caput ovatum, inaequaliter punctatum, nigrum, subnitidum, vertice alte elevato, fortiter compresso, deplanato, supra acute carinato, rotundato. Labrum, mandibulae, palpi picei. Antennae fuscae, articulis duobus primis piceis. Thorax dimidio fere longior quam latior, antrorsum leviter attenuatus, apice emarginatus, lateribus retrorsum sinuatis, angulis posticis extrorsum productis, rectis, lobo scutellari modice elevato, apice oblique excavato; supra satis convexus, basi deplanatus ibique sat profunde biimpressus, fortiter punctatus, niger, subnitidus. Elytra basi thoracis fere latitudine, illaque dimidio longiora, ante medium dehiscentia, apice acuminata; supra deplanata, basi humerisque calloso-elevatis, fortiter et latera versus confertim punctata, nigra, subopaca, macula pone humeros subquadrata flava, plus minusve ferrugineo-limbata, marginemque externum attingente. Corpus subtus punctatum, nigrum, subnitidum. Pedes nigri, tibiarum spinis unguiculisque ferrugineis.

Habitat Brasiliam.

8. Rhip. rubropictus. *Ater, punctatus, thorace ferrugineo, marginibus, maculis quatuor magnis oblongis punctoque disci nigris; elytris fasciis duabus transversis, sutura interruptis, ferrugineis. Long.* $5-6\frac{1}{2}$ *lin.*

var. a. Maculis thoracis ad vittas duas laterales confluentibus, elytrorum fasciis abbreviatis.
Rhipidophorus rubropictus. Perty, Anim. artic. Brasil. pag. 66. *Tab. XIII, fig.* 12.

var. b. Abdomine rufo.

♂

Maximus hujus generis et colorum distributione satis excellens. Caput suborbiculare, fortiter punctatum, atrum, opacum, fronte tuberculis duobus inter oculos sublaevibus, vertice elevato, apice fere truncato, occipite ruguloso-punctato, griseo-piloso. Palpi rufo-picei. Antennae nigrae, articulis duobus basalibus piceis. Thorax latitudine paullo longior, antrorsum fortiter attenuatus, apice subemarginatus, lateribus valde flexuosis, angulis posticis rectis, obtusiusculis, lobo scutellari triquetro, perparum elevato, apice excavato; supra modice convexus, antice admodum declivis, postice deplanatus, punctatissimus, basi subcarinatus, linea media abbreviata laevi, subtiliter pubescens, ferrugineus, apice late, basi lateribusque tenuiter nigro-marginatus, maculis quatuor magnis oblongis (duabus in utroque latere) punctoque disci nigris. Elytra basi thoracis fere latitudine illaque plus dimidio longiora, ante medium dehiscentia, apice acuminata; supra fere plana, basi profunde impressa, punctatissima, humeris callo anteriore laevi; nigra, opaca, fasciis duabus latis transversis (una ante, altera post medium), sutura interruptis et in margine externo inter se cohaerentibus, ferrugineis. Corpus subtus nigrum, fere glabrum, nitidum, pectore crebre fortiterque, abdomine subtiliter et sat vage punctato. Pedes nigri, punctati, nitidi, tibiarum spinis unguiculisque rufo-piceis.

In var. *a.* thoracis maculae nigrae ejusmodi confluunt, ut vittae duae laterales, flexuosae componantur; elytrorum fasciae ad maculas saepius minutas diminuuntur.

In var. *b.* abdomen laete rufum apparet.

Patria: Brasilia.

9. Rhip. 8 maculatus. *Punctatus, ferrugineus, pubescens, capite, antennis basi excepta, pectore, thoracis maculis duabus, elytrorum sex nigris. Long.* $2\frac{1}{2}-3\frac{1}{2}$ *lin.*

var. a. Pedibus totis vel pro parte nigris.

var. b. Vertice plus minusve rufescente.

var. c. Abdomine nigro, elytrorum maculis confluentibus.

♂ ♀

Praecedenti facie simillimus, sed multo minor, gracilior et compluribus signis, ut videtur, constanter discrepans. Caput suborbiculare, crebre punctatum, nigrum, subnitidum, fronte obsolete bituberculata, vertice

elevato, subtruncato, interdum rufescente, occipite ruguloso, griseo-piloso. Labrum et mandibulae piceae, palpi ferruginei. Antennae ♀ fuscae, articulis tribus primis ferrugineis, ♂ ferrugineae, fusco-flabellatae. Thorax ut in praecedente formatus, crebre punctatus, subtiliter pubescens, rufo-ferrugineus, maculis duabus oblongis lateralibus nigris. Elytra ferruginea, opaca, maculis tribus, una humerali, altera submedia, tertia apicali nigris, sutura tenuiter infuscata vel nigricante. Corpus subtus punctatissimum, sericeum, pectore nigro, retrorsum plus minusve rufescente, abdomine rufo-ferrugineo. Pedum color valde variabilis: in nonnullis speciminibus toti ferruginei, aliorum tibiae tarsique postici, aliorum femora postica nigricantia apparent: sunt denique, quae pedes prorsus nigros praebent.

In var. *c*, cujus specimen masculum observavi, abdomen nigrum apparet, maculaeque thoracis non minus quam elytrorum ejusmodi dilatatae sunt, ut pro parte confluant.

Hanc speciem maximam cum praecedente praebere affinitatem, negari nullo modo potest, neque magna speciminum copia exacte comparata, cum illa conjungi posse vix dubito. Quum vero utriusque quinque tantum specimina observationi pateant, quae compluribus coloris atque signaturae characteribus stricte separantur, hodie quidem separationem necessariam putavi.

Magnam Americae partem incolere videtur, quum specimina in Illinois, Pernambuco, Bahia capta observarim.

10. Rhip. bimaculatus. *Punctatus, rufus, subnitidus, ore, antennarum apice, oculis, metathorace, genubus elytrorumque macula ovali nigris. Long.* $2\frac{1}{2}$*—6 lin.*

Rip. bimaculatus. **Fabr. Ent. syst. II, pag.* 112, *No.* 9. — *Syst. El. II. pag.* 120. *No.* 15. — *Oliv. Ent. III,* 65, *pag.* 5, *No.* 4. *Pl.* 1, *Fig.* 4. — *Küster, Käf. Europ. XIII,* 78. — *Duméril, Consid. gén. sur les Ins. Pl.* 11, *Fig.* 4.

Emenadia bimaculata. Castelnau, Hist. nat. d. Ins. Coléopt. II. pag. 260, *No.* 1.

Mordella bimaculata. Fabr. Mant. Ins. I, pag. 218, *No.* 8.

Mordella larvata.! Schrank. Naturf. 24, 90, 60.

var. a. Elytrorum macula scutellari pedibusque nigris.

Rip. lituratus. **Fabr. Ent. syst. suppl. pag.* 126. *No.* 8—9. — *Syst. El. II. pag.* 120. *No.* 14.

Rip. carinthiacus. Panzer, Faun. Germ. 22, 7.

var. b. Corpore subtus, pedibus elytrorumque macula scutellari nigris.

Rip. bicolor. Oliv. Ent. III, 65. *pag.* 5, *No.* 3. *Pl.* 1. *Fig.* 3.

var. c. Capite thoraceque plus minusve nigricantibus.

♂ ♀

Caput ovatum, glabrum, nitidum, vertice elevato, convexo, disperse punctulato, fronte deplanata, crebre punctata: variat colore 1) totum rufum, 2) rufum, ore infuscato vel nigricante, 3) rufum supra, nigrum infra oculos, 4) totum nigrum. Labrum palpique ferruginei; mandibulae totae piceae vel basi rufae. Antennae fuscae, articulis duobus basalibus ferrugineis, in femina saepius ferrugineae, apice nigricante. Thorax latitudine longior, antrorsum leviter attenuatus, lateribus ultra medium usque fere rectis, posterius extrorsum versis, angulis posticis admodum acutis, humeros amplectentibus, lobo scutellari parum elevato, postice truncato subtusque exciso: supra satis convexus, basi utrinque depressus, punctatus, subnitidus: variat colore 1) totus rufus, 2) macula apicali media fusca vel nigra, 3) margine antico nigro, 4) dimidio anteriore nigro, 5) niger vel piceus, disco plus minusve rufescente. Elytra basi thoracis fere latitudine illoque dimidio longiora, prope basin dehiscentia, disco impressa, fortiter sed non crebre punctata, rufo-ferruginea, macula ante apicem ovali nigra: variant colore 1) basi tenuiter nigro-limbata, 2) basi maculaque scutellari, subquadrata nigris. Corpus subtus punctatum, glabrum, nitidum: variat colore 1) rufum, metathorace atro, 2) atrum, prothorace abdomineque rufis, 3) atrum, prothorace rufo, 4) totum atrum. Pedes eandem coloris variationem praebent: sunt enim aut rufi genubus nigris, aut rufi femoribus nigris, aut toti nigri vel picei, tarsis dilutioribus.

Habitat Europam meridionalem.

11. Rhip. Novae Hollandiae. *Punctatissimus, glaber, rufus, metathorace, coxis, tarsis, elytrorum apice maculaque pone medium nigris. Long.* $4\frac{1}{2}$ *lin.*

Rhip. bimaculato facie subsimilis, sed thorace fortiter attenuato, punctatissimo, sicut elytrorum signaturis distinctus. Caput ovatum, disperse punctatum, glabrum, nitidum, vertice elevato, subacuminato, occipite fere plano, punctatissimo. Oculi nigri. Mandibulae piceae. Labrum, palpi, antennae ferrugineae. Thorax latitudine perspicue longior, antrorsum fortiter attenuatus, lateribus flexuosis, angulis posticis acutis, retrorsum versis, lobo scutellari triquetro, acuminato, apice excavato: supra satis convexus, apicem versus admodum declivis, basi gibboso-elevatus, confertim atque rude punctatus, linea antica media sublaevi, rufus, subopacus, glaber. Elytra basi thoracis latitudine, illaque fere duplo longiora, pone basin dehiscentia, apice admodum acuta, supra deplanata, basi margineque externo calloso-elevata, ibique fortius punctata, ferruginea, glabra, nitida, macula ante medium transversa apiceque late nigris. Corpus subtus punctatissimum, rufum, metathorace nigro. Pedes rufi, coxis tarsisque nigris.

Habitat Novam Hollandiam.

12. Rhip. scutellaris. *Rufus, antennis basi excepta, metathorace, geniculis, elytrorum macula scutellari apiceque late nigris. Long.* $2\frac{2}{3}$ — $3\frac{1}{4}$ *lin.*

Minoribus Rhip. bimaculati individuis statura fere aequalis, sed praeter diversam elytrorum signaturam lobo thoracis scutellari alte elevato distinctus. Caput ovatum, disperse punctulatum, glabrum, rufum, nitidum, vertice alte elevato, satis convexo, supra rotundato. Mandibulae rufae, apice nigro; labrum palpique ferruginei. Antennae nigro-fuscae, articulis duobus primis ferrugineis. Thorax latitudine longior, antrorsum leviter attenuatus, margine antico subsinuato, lateribus vix rotundatis, angulis posticis acutis, extrorsum productis, humeros amplectentibus, lobo scutellari alte elevato, late truncato posticeque sat fortiter excavato: supra modice convexus, confertim sed parum profunde punctatus, glaber, subnitidus. Elytra thorace plus dimidio longiora, mox pone basin dehiscentia, supra leviter convexa, disco subimpressa, sat dense punctata, rufa, macula communi baseos subquadrata apiceque late nigris. Corpus subtus punctatum, nitidum, rufum, metathorace nec non mesothoracis margine posteriore nigris. Pedes rufi, geniculis nigricantibus.

Habitat Indiam orientalem.

13. Rhip. nigripennis. *Punctatus, rufus, fere glaber, pectoris lateribus, genubus elytrisque nigris. Long.* 3 *lin.*

Emenadia bicolor.? Castelnau, Hist. nat. des Ins. Coléopt. II, p. 262. *No.* 4.

Caput breviter ovatum, disperse punctatum, rufum, subnitidum, vertice elevato, supra rotundato. Mandibulae piceae, apice nigro: palpi ferruginei. Oculi nigri. Antennae ferrugineae, processibus fuscis. Thorax latitudine paullo longior, antrorsum attenuatus, angulis posticis acutis, retrorsum versis humerosque amplectentibus, basin versus gibbus, lobo scutellari alte elevato, apice profunde excavato: rufus, crebre et sat profunde punctatus, linea media abbreviata sublaevi. Elytra basi thorace vix angustiora illoque duplo longiora, retrorsum sensim attenuata, apice acuminata: supra deplanata, disco sat profunde impressa, crebre ac profunde punctata, atra, subnitida, basi margineque externo interdum tenuiter rufo-limbatis. Corpus subtus rufum, punctatum, subnitidum, metathoracis lateribus nigris. Pedes rufi, genubus nigris.

Habitat ad flumen Senegal et in Aegypto.

Annotatio. Emenadia bicolor Casteln., quantum ex descriptione brevissima judicari potest, cum hac specie congruere videtur: sed auctor clarissimus speciem illam $2\frac{1}{3}$ lin. latam dicit (num erratum typographicum?), quum nostra specimina vix 1 lin. latitudinem praebeant.

14. Rhip. bipunctatus. *Niger, sericeus, palpis, antennarum basi elytrisque testaceis: his basi, apice maculaque pone medium nigris. Long.* 2 — $3\frac{1}{2}$ *lin.*

Rip. bipunctatus. * *Fabr. Syst. El. II, pag.* 120. *No.* 17.

var. a. Abdomine rufo.

Rhip. apicalis. Westwood. (Royle. Illustrations of the Himalayan mountains, Entom. pag. 55, *Tab.* 9. *fig.* 11.*)*

var. b. Thorace rufo-limbato.

var. c. Capite, thorace abdomineque rufis.

Rip. fasciatus. **Fabr. i. lit.*

Emenadia terminata! Casteln. Hist. nat. des Ins. Coleopt. II, pag. 262.

var. d. Pedibus totis vel pro parte rufis.

var. e. Elytrorum basi concolore.

♂ ♀

Caput breviter ovatum, fortiter punctatum, nigrum, subnitidum, vertice elevato, satis convexo, supra leviter acuminato, reflexo. Labrum cum mandibulis piceum; palpi ferruginei. Antennae fuscae, articulis duobus primis testaceis, flabellis in ♂ testaceis, apice nigricantibus, interdum totis nigris. Thorax dimidio longior quam latior, antrorsum attenuatus, ante apicem subconstrictus, lateribus flexuosis, angulis posticis fere rectis, obtusiusculis, extrorsum paullo productis, lobo scutellari modice elevato, carinato apiceque oblique excavato: supra convexus, apicem versus valde declivis, pone basin transverse impressus, confertim rugoso-punctatus, sericeus, niger, opacus. Elytra thorace vix dimidio longiora, pone medium dehiscentia, deplanata, disco longitudinaliter impressa, punctata, glabra, testacea, basi apiceque tenuiter punctoque pone medium laterali nigris. Corpus subtus nigrum, punctatum, sericeum, abdomine apice rufescente. Pedes nigri, tibiis plus minusve rufescentibus.

Femina a mare differt impressione pone thoracis basin obsoletiore, capite minore.

Numerosae hujus speciei varietates hac re efficiuntur, quod color niger diversarum corporis partium in rufum commutatur: quales sunt Rhip. apicalis Westwood, in quo abdomen tantum rufum apparet, et Rhip. fasciatus Fabr. inedit., Emenadia terminata Casteln., qui caput, thoracem, abdomen rufa praebent. Maculae elytrorum nigrae in aliis majores apparent, ejusmodi ut media saepius in fasciam transversam commutetur: in aliis contra plus minusve evanescunt.

Habitat Indiam orientalem magnamque, ut videtur, Africae meridionalis partem; specimina nostra in Guinea, ad Port Natal, in Caffraria capta sunt.

15. Rhip. varicolor *mh. Punctatus, sericeus, thoracis lobo scutellari subcarinato, postice excavato: elytris fortiter punctatis, ante apicem transverse impressis. Long.* 2—3½ *lin.*

Mas thorace basi transverse impresso.

Rip. humeratus. Fabr. Syst. El. II, pag. 119, *No.* 8.

Rip. tristis. Fabr. Syst. El. II, pag. 119. *No.* 9.

Rip. pectinatus. Fabr. Syst. El. II, pag. 119. *No.* 5. — *Ent. syst. II. pag.* 111, *No.* 4.

Rhip. rubidus. **Dejean Cat.*

Rhip. bicolor. **Knoch i. lit.*

Rhip. bicolor. Say. Journal of acad. of nat. scienc. of Philad. Vol. III, pag. 275.

Rhip. dubius

- *impressus*
- *maxillosus*
- *fasciatus* } *Melsheimer. Proceed. of acad. of nat. scienc. of Philad. Vol. II, pag.* 316. *sqq.*
- *ambiguus*
- *longipes*
- *thoracicus*
- *niger*

Rhip. sanguinolentus! Germar, Spec. Ins. pag. 169.

♂ ♀

Haec species colore adeo variat, ut vix specimina dua prorsus congruentia reperiantur: quare factum est, ut multis sub nominibus ab auctoribus descripta sit. — Caput breviter ovatum, glabrum, nitidum, disperse punctatum, fronte linea media plerumque laevi: colore variat totum atrum, vel atrum vertice rufo, vel totum rufum. Antennae fuscae, articulis duobus primis testaceis. Palpi testacei vel ferruginei. Thorax latitudine dimidio fere longior, antrorsum attenuatus, lateribus sat fortiter flexuosis, angulis posticis rectis, obtusis, lobo scutellari parum elevato, subcarinato, apice excavato: supra satis convexus, confertim punctatus, subtiliter pubescens, fere opacus: niger, vel disco rufescente, vel rufus, nigro-maculatus, vel totus rufus. Elytra basi thoracis

latitudine illoque plus dimidio longiora, retrorsum attenuata, pone medium dehiscentia, apice acuminata: supra deplanata, disco et ante apicem profunde impressa, fortiter punctata, colore admodum vario: 1) testacea, apice nigro, vel basi apiceque nigris, vel basi, macula laterali pone medium apiceque nigris, 2) tota rufa, vel rufa, apice nigro. 3) nigra, testaceo-maculata vel tota nigra. Corpus subtus crebre punctatum, sericeum, colore varians: totum nigrum, vel nigrum, abdomine rufo, vel totum rufum. Pedes plerumque nigri, tarsis plus minusve rufescentibus: rarius rufi, femoribus nigris.

Ex descriptione nostra elucet, omnia hujus speciei partes tantis coloris variationibus esse subjecta, ut diagnosis secundum colorem sisti non possit. Reperiuntur enim specimina et tota rufa et tota nigra, nigra elytris rufis et rufa elytris nigris, quae vero omnia ceteris characteribus, ex forma, punctatione etc. sumptis conjunguntur.

Habitat Americam septentrionalem, ubi frequens esse videtur.

Annot. 1. Fabricii Rip. humeratum, tristem, pectinatum, quamquam typi observationi non patuerunt, huic speciei congruere, vix dubium esse potest, quum in speciminibus nostris reperiantur, quibus descriptiones illae Fabricianae accurate adaptari possint. Praeterea vero ejusdem Rip. ventralem et nigricornem et ipsos nil nisi varietates hujus speciei esse, non una ex caussa suspicar.

Annot. 2. Rhipiphoros a Clar. Melsheimer (loc. cit.) descriptos varietates tantum unius ejusdemque speciei esse, ex descriptionibus ipsis elucere videtur: discrimina enim specifica nusquam allata sed omnia ex colore tantum sumpta sunt. Quin etiam auctor ipse, species suas inter se non distinctas esse, quasi confitetur verbis, quibus saepius utitur: „head punctured as is common“ et „thorax granulate as is common“: quum in Rhipiphori speciebus, quae revera distinctae sunt, haud exigua harum partium discrimina reperiantur.

Annot. 3. Quum compluribus sub nominibus haec species a Fabricio descripta sit, in dubio fui, quod praeferam: itaque novum institui, quo species apte significetur.

16. Rhip. fenestratus. *Ater, opacus, antennarum basi palpisque ferrugineis: thorace basi carinato, elytris macula antica testacea, subpellucida. Long. 3 lin.*

☿

Praecedenti certe affinis, sed statura breviore, capite rotundato fortiterque punctato, elytris ante apicem non impressis distinctus. Caput suborbiculare, profunde punctatum, nigrum, subnitidum, vertice minus elevato, supra leviter acuminato. Palpi ferruginei. Antennae nigrae, articulis duobus basalibus ferrugineis. Thorax latitudine paullo longior, antrorsum sat fortiter attenuatus, lateribus flexuosis, angulis posticis admodum obtusis, lobo scutellari parum elevato, supra carinato, apice transverse excavato: supra satis convexus, confertim punctatus, subtiliter griseo-pubescens. Elytra thorace dimidio longiora, retrorsum fortiter attenuata, post medium dehiscentia, apice acuta: supra deplanata, pone basin profunde impressa, crebre fortiterque punctata, atra, opaca, macula anteriore ovali testacea, subpellucida. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, sericeum. Pedes nigri, unguiculis ferrugineis.

Patria: Brasilia.

Divisio II.

Thoracis lobus scutellaris non elevatus, apice deplanatus.

a) *Corpus oblongum, elytra acuminata, sat fortiter dehiscentia.*

17. Rhip. flabellatus. *Subtus niger, supra ferrugineus: tibiis tarsisque posterioribus basi rufis. Long. 2—5 lin.*

Rip. flabellatus. **Fabr. Syst. El. II. pag. 119. No. 7. — Entom. syst. II, pag. 111, No. 6. — Cyrilli Entom. Neap. I, Tab. 4, fig. 1. — Küster, Käf. Europ. XIII, 77.*
Emenadia flabellata. Castelnau, Hist. nat. d. Ins. Coléopt. II, pag. 262, No. 2.
Mordella flabellata. **Rossi Faun. Etrusc. I, pag. 299. No. 602.*
var. a. Abdomine rufo.
Rip. ferrugineus. **Fabr. Syst. El. II, pag. 118, No. 2. — Entom. syst. II, pag. 110, No. 2.*
var. b. Corpore subtus femoribusque rufis.

♂ ☿

Caput ovatum, disperse punctulatum, rufo-ferrugineum, vertice alte elevato, compresso, subacuminato.

Os nigrum; palpi picei, apice rufescentes. Oculi nigri. Antennae nigrae, articulis duobus primis ferrugineis: in mare interdum flavae, apicem versus nigricantes. Thorax latitudine longior, antrorsum sat fortiter attenuatus, lateribus flexuosis, angulis posticis acutis, subinflexis, lobo scutellari triquetro, apice acuto: supra satis convexus basin versus deplanatus, medio obsolete carinatus, utrinque perspicue impressus, crebre fortiterque punctatus, subtiliter pubescens, rufo-ferrugineus. Elytra thorace vix dimidio longiora, lateribus retrorsum paullo attenuata, post medium dehiscentia, apice acuminata: supra deplanata, disco longitudinaliter impressa, confertim punctata, opaca, ferruginea. Corpus subtus nigrum, punctatum, subnitidum. Pedes nigri, tibiis tarsisque posterioribus basi rufo-annulatis.

In var. *a.* et *b.* corpus subtus cum pedibus, sicut in compluribus speciebus observatur, coloris rufi plus minusve propagati apparet.

Habitat orbis terrarum antiqui regiones calidiores: specimina, quae observavi, in Italia, Aegypto, ad flumen Senegal, in Guinea, Caffraria, India orientali capta sunt.

18. Rhip. rufipennis. *Punctatus, ater, subnitidus, elytris rufis, basi apiceque tenuiter nigris. Long.* 3—4 *lin.*

Rhip. rufipennis. Guérin-Méneville, Iconogr. du règne animal, Insectes, pag. 192. *Pl.* 31. *fig.* 4. (1838.)

Rhip. fulvipennis. **Dejean Cat. — Küster. Käf. Europ. V,* 71. (1846.)

♂ ♀

Caput suborbiculare, disperse subtiliterque punctulatum, glabrum, subnitidum, vertice elevato, supra rotundato. Palpi nigro-picei. Antennae nigrae. Thorax latitudine longior, antrorsum attenuatus, lateribus leviter flexuosis, angulis posticis acutis, brevibus, lobo scutellari subtriquetro, apice truncato: supra modice convexus, sat crebre punctatus, parce griseo-pubescens, ater, subnitidus. Elytra thorace dimidio longiora, retrorsum sensim attenuata, post medium dehiscentia: supra fere deplanata, disco leviter impressa, punctata, rufa, basi apiceque tenuiter nigris. Corpus subtus atrum, punctatum, subnitidum. Pedes nigri, tibiarum spinis unguiculisque ferrugineis.

Habitat Dalmatiam.

19. Rhip. apicalis. *„Niger, nitidus, elytris brevioribus, ferrugineis, basi apiceque nigris." Long.* $2\frac{1}{2}$ *lin. Küster, Käf. Europ. XIII.* 79.

Species mihi ignota, quae secundum descriptionem auctoris a praecedente vix distincta esse videtur.

Patria: Hispania.

20. Rhip. Gayi *mh. Niger, thoracis marginibus elytrisque rubris. Long.* 3 — $3\frac{1}{2}$ *lin.*

Rhip. rufipennis Solier. Gay. Historia fisica e politica de Chile. Zool. V, pag. 275. *Tab.* 21. *fig.* 9.

Species mihi ignota, quam secundum figuram et descriptionem auctoris huic divisioni attribuendam existimo. Nomen, speciei Europaeae jam antea attributum, mutandum erat.

Patria: Chile.

21. Rhip. cruentus. *Punctatus, ater, parum nitidus, elytris sanguineis, basi tenuiter apiceque late nigris. Long.* $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$ *lin.*

Rhip. cruentus. **Germar. Spec. Ins. pag.* 168.

var. a. Antennarum articulo primo abdomineque (toto vel pro parte) rufis.

♂ ♀

Caput ovatum, subtiliter punctatum, atrum, glabrum, subnitidum, vertice alte elevato, subcompresso, rotundato. Mandibulae palpique nigro-picei. Antennae nigrae, articulo primo piceo vel rufo. Thorax dimidio fere longior quam latior, antrorsum attenuatus, lateribus flexuosis, angulis posticis obtusis, lobo scutellari triquetro, apice rotundato: supra modice convexus, basi leviter biimpressus, confertim rugoso-punctatus, ater, subopacus. Elytra thorace vix dimidio longiora, retrorsum sensim attenuata, post-medium dehiscentia, supra deplanata, crebre punctata, opaca, sanguinea, basi tenuiter apiceque late nigris. Corpus subtus atrum, confertim punctatum, parum nitidum. Pedes nigri, tibiarum spinis unguiculisque rufis.

In var. a. abdomen vel totum, vel pro parte colorem praebet laete rufum: nec desunt specimina, in quibus tarsorum posticorum articuli rufo-annulati apparent.

Patria: America septentrionalis et Mexico.

22. Rhip. tricolor. *Punctatus, rufus, subnitidus, antennis, genubus, tarsis elytrisque nigris, his fascia pone basin lata testacea. Long.* $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$ *lin.*

♀

Caput suborbiculare, disperse subtilissimeque punctulatum, glabrum, rufum, nitidum, fronte convexa, vertice rotundato. Mandibulae rufae, apice nigro. Palpi testacei. Oculi nigri. Antennae nigrae, articulis tribus basalibus ferrugineis. Thorax latitudine longior, antrorsum sensim attenuatus, lateribus leviter flexuosis, angulis posticis acutissimis, retrorsum versis, humeros amplectentibus, lobo scutellari triquetro, apice late truncato: supra satis convexus, fortiter atque hic inde rugoso-punctatus, rufus, subnitidus. Elytra basi thorace paullo angustiora illoque plus dimidio longiora, lateribus retrorsum attenuata, post medium dehiscentia: supra deplanata, fortiter punctata, pube tenui grisea obsita, nigra, fascia pone basin transversa, lata, postice flexuosa, sutura margineque externo interrupta, testacea. Corpus subtus crebre punctatum, rufum, subnitidum, metathorace interdum macula laterali nigra. Pedes rufi, femorum tibiarumque apice tarsisque nigris: rarius femora tota nigra apparent.

Habitat Novam Hollandiam.

23. Rhip. vittula. *Rufo-ferrugineus, punctatus, subnitidus, oculis, antennis basi excepta, tibiis tarsisque nigris: elytris testaceis, basi, humeris, sutura strigaque longitudinali nigris vel fuscis. Long.* 3 — 4 *lin.*

var. a. ***Pedibus totis rufis.***

var. b. ***Corpore subtus pedibusque totis nigris.***

var. c. ***Capite, thoracis disco, corpore subtus pedibusque nigris.***

var. d. ***Niger, thoracis basi, elytrorum margine, femorum tibiarumque basi rufis.***

♂ ♀

Caput suborbiculare, disperse punctulatum, glabrum, rufum, nitidum, vertice elevato, convexo, leviter rotundato. Mandibulae rufae, apice nigro; palpi ferruginei. Oculi nigri. Antennae nigrae, articulis duobus basalibus ferrugineis. Thorax latitudine longior, antrorsum leviter attenuatus, lateribus flexuosis, angulis posticis acutis, retrorsum versis humerosque amplectentibus, lobo scutellari subtriquetro, apice obtusiusculo: supra satis convexus, basi nec deplanatus nec lateraliter impressus, confertim punctatus, linea media abbreviata laevi, rufus, subnitidus. Elytra thorace dimidio longiora, retrorsum attenuata, pone medium dehiscentia, apice obtuse acuminata: supra modice convexa, pone humeros vix impressa, crebre punctata, opaca, testacea, basi, sutura strigaque flexuosa, ex humero usque ad apicem percurrente nigris. Corpus subtus rufum, crebre punctatum, subnitidum. Pedes nigri, femoribus basi rufis.

Haec quoque species non exiguis coloris variationibus subjecta est, quamquam major speciminum numerus cum descriptione nostra convenit. In nonnullis enim color corporis rufus in nigrum commutatur, et in aliis quidem subtus tantum, in aliis etiam supra: in paucis denique elytra quoque nigra apparent, margine externo tantum colorem rufum praebente.

Habitat Brasiliae locum San Ioão del Rey.

24. Rhip. sordidus. *Niger, antennarum basi elytrisque testaceis: his marginibus, apice strigaque laterali antice abbreviata fuscis vel nigricantibus. Long.* $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$ *lin.*

var. a. *Prothorace, abdomine pedibusque posticis rufis.*

var. b. *Elytris totis dilute fuscis.*

♂ ♀

Rhip. vittulae magnitudine fere aequalis, sed paullo angustior, thorace basi evidenter biimpresso, elytris acutioribus nec non profunde canaliculatis bene distinctus: Rhip. varicolori etiam subsimilis, sed thoracis lobo medio depresso, apice non excavato abhorrens. — Caput breviter ovatum, punctatum, nigrum, vertice elevato, paullum reflexo, leviter acuminato. Os piceum, palpis testaceis. Antennae nigrae, articulis duobus basalibus testaceis, flabellis in mare fuscis, rarius croceis. Thorax latitudine dimidio longior, antrorsum sensim attenuatus, lateribus leviter flexuosis, angulis posticis fere rectis, lobo scutellari apice obtuso; antice et in medio

baseos satis convexus, sed ad latera ejusdem deplanatus et utrinque profunde impressus, fortiter punctatus, niger, subnitidus. Elytra thorace plus dimidio longiora, retrorsum sat fortiter attenuata, post medium dehiscentia, apice acutissima: supra deplanata, profunde canaliculata, fortiter punctata, sed in sulco fere laevia, testacea, basi, marginibus, apice strigaque longitudinali antice abbreviata fuscis vel nigris. Corpus subtus nigrum, punctatum, subnitidum. Pedes nigri, unguiculis nec non tarsis pro parte rufis.

In var. a. prothorax et abdomen vel tota vel pro parte rufa apparent, nec non tibiae tarsique postici in ejusmodi speciminibus rufi esse solent.

Patria: Brasilia.

25. Rhip. tarsatus. *Oblongus, niger, parum nitidus, tibiis tarsisque posterioribus basi testaceis: vertice minus elevato, thorace basi biimpresso. Long.* $2\frac{1}{2}$—3 *lin.*

Rip. tarsatus. **Fabr. Syst. El. II, pag.* 120, *no.* 18.

var. a. Thoracis angulis posticis elytrorumque margine externo rufescentibus.

♂

Caput orbiculare, punctulatum, nigrum, nitidum, vertice modice elevato, supra rotundato. Labrum palpique picei. Antennae fuscae, articulis duobus basalibus piceis. Thorax latitudine dimidio longior, antrorsum fortiter attenuatus, lateribus flexuosis, angulis posticis obtusis, brevibus, lobo scutellari triquetro, apice obtusiusculo: supra modice convexus, basin versus deplanatus ibique perspicue biimpressus, confertim punctatus, subtilissime griseo-pubescens, niger, opacus. Elytra basi thoracis latitudine illoque vix dimidio longiora, lateribus retrorsum attenuata, post medium dehiscentia, apice obtuse acuminata: supra deplanata, crebre punctata, pube tenui obsita, nigra, opaca. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, subnitidum. Pedes nigri, tibiis tarsisque posterioribus basi testaceo- vel ferrugineo-annulatis.

Habitat Americam septentrionalem et meridionalem.

26. Rhip. nasutus. *Oblongus, ater, opacus, tibiis tarsisque concoloribus: vertice alte elevato, thorace basi non impresso. Long.* $3\frac{1}{2}$ *lin.*

Rip. nasutus. Fabr. Syst. El. II, pag. 118, *no.* 3. — *Ent. syst. II, pag.* 110, *no.* 3.

Mordella nasuta. Thunberg, Nov. spec. Ins. III, 66, *fig.* 77.

♂ ♀

Praecedenti simillimus, sed statura paullo longiore, vertice alte elevato, tibiis tarsisque unicoloribus, nigris bene distinctus. Caput oblongo-ovatum, disperse punctulatum, nigrum, glabrum, nitidum, vertice alte elevato, fortiter rotundato. Labrum, mandibulae, palpi picei. Antennae nigrae, in mare fusco-flabellatae. Thorax latitudine plus dimidio longior, antrorsum sensim attenuatus, lateribus leviter flexuosis, angulis posticis fere rectis, obtusis, lobo scutellari triquetro, apice extremo subtruncato: supra satis convexus, basin versus vix deplanatus, confertim rugoso-punctatus, parce subtiliterque pubescens, niger, opacus. Elytra thorace vix dimidio longiora, retrorsum leviter attenuata, post medium dehiscentia, apice obtuse acuminata: supra deplanata, confertim punctata, pube tenui obsita, atra, opaca. Corpus subtus fortiter punctatum, nigrum, subnitidum. Pedes unicolores, nigri.

Haec species insulas Asiaticas habitare videtur: Fabricius enim patriam indicat Iaponiam, quum nostra specimina in insula Nicobar, in Borneo, in Manila capta sunt.

b) Corpus elongatum, elytra acuminata, parum dehiscentia.

27. Rhip. attenuatus. *Elongatus, ferrugineus, antennis basi excepta, vertice, elytrorum basi marginibusque, metathoracis maculis duabus magnis pedibusque pro parte nigris. Long.* 4—$4\frac{2}{3}$ *lin.*

♀ *Prothorace maculis tribus nigris.*

♂ ♀

Caput parvum, ovatum, subtilissime punctulatum, ferrugineum, subnitidum, vertice convexo, supra rotundato, nigro. Labrum, mandibulae palpique ferruginei. Oculi obscure ferruginei. Antennae nigrae, articulis duobus basalibus ferrugineis. Thorax in mare plus dimidio longior quam latior, antrorsum fortiter attenuatus, lateribus fere rectis, angulis posticis acutissimis, retrorsum versis, lobo scutellari triquetro, apice obtuso: supra modice convexus, basin versus obsolete biimpressus, disperse nec profunde punctatus, glaber, nitidus, ferrugineus: feminae multo latior, maculis tribus pone apicem serie transversa dispositis nigris, medio majore, subcordato, la-

teralibus oblongis. Elytra basi thorace paullo angustiora. illoque duplo longiora. pone humeros paullulum ampliata. retrorsum sensim attenuata. finem versus dehiscentia. apice acuminata: supra modice convexa, longitudinaliter subsulcata, sat profunde punctata. ferruginea. basi, humeris, apice. sutura margineque externo nigris. Corpus subtus punctatum. glabrum. ferrugineum. metathoracis maculis duabus magnis nigris. Pedes antici nigri, femoribus basi ferrugineis: posteriores femoribus. tibiis tarsisque basi ferrugineis.

Unum tantum utriusque sexus specimen observationi patet: itaque, num discrimen sexuale. ex signatura thoracis sumptum. constans sit. pro certo affirmare nequeo.

Patria: Brasilia.

28. Rhip. trisignatus. *Elongatus. testaceus. oculis, antennis basi excepta. thoracis maculis tribus. elytrorum marginibus, femorum nec non tibiarum apice tarsisque nigris. Long* $3\frac{1}{2}$ — 4 *lin.*

♀

Caput breviter ovatum, subtilissime punctulatum. glabrum. testaceum. subnitidum. vertice elevato. convexo. supra rotundato. Labrum palpique testacei: mandibulae ferrugineae, apice nigro. Oculi nigri. Antennae nigrae. articulis duobus primis tertioque basi testaceis. Thorax latitudine dimidio longior, antrorsum sensim attenuatus, lateribus fere rectis. angulis posticis acutis, retrorsum versis, lobo scutellari triquetro. apice truncato. deplanato: supra parum convexus, obsolete punctatus. parce subtiliterque pubescens. testaceus. maculis tribus disci. in trianguli formam dispositis, nigris. anteriore subtriquetro, posterioribus ovatis. Elytra basi thorace paullo angustiora illoque fere duplo longiora. pone humeros leviter ampliata. retrorsum sensim attenuata, finem versus dehiscentia. apice obtuso-acuminata: supra leviter convexa. crebre sed non profunde punctata, pube subtilissima obsita, testacea. undique nigro- vel fusco-limbata. Corpus subtus fortius punctatum. testaceum, macula meso- et metathoracis prope coxas nigra. Pedes testacei, femorum tibiarumque apice nec non tarsis basi excepta nigris.

Habitat Brasiliam.

29. Rhip. cordiger. *Elongatus, ferrugineus. subnitidus, oculis, antennis basi excepta, thoracis macula triloba. abdominis apice pedibusque pro parte nigris: elytris infuscatis. stria longitudinali pellucida. testacea. Long.* $2\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$ *lin.*

var. a. Vertice pectorisque maculis duabus magnis nigris.

♀

Praecedenti nec minus sequenti subsimilis. ab utroque tamen satis differre videtur, qui singularem speciem constituat: a Rhip. trisignato statura minore loboque thoracis scutellari apice rotundato. non vero emarginato. a Rhip. limbato macula thoracis aliter formata abhorret. — Caput ovatum. disperse punctulatum, testaceum. nitidum. fronte convexa, vertice elevato. supra leviter rotundato. interdum nigro. Os testaceum. mandibulae apice nigro. Oculi nigri. Antennae nigrae, articulis duobus primis tertioque basi testaceis. Thorax latitudine dimidio longior. antrorsum sensim attenuatus. lateribus fere rectis. angulis posticis acutissimis, humeros amplectentibus. lobo scutellari triquetro. apice rotundato: supra modice convexus, confertim sed parum profunde punctatus. subtiliter pubescens, laete ferrugineus. macula disci triloba. obcordata nigra. Elytra basi thorace paullo angustiora illoque vix duplo longiora. retrorsum satis attenuata, apicem versus dehiscentia. sat fortiter punctata. fusca vel nigricantia. striga longitudinali testacea, pellucida. Corpus subtus ferrugineum, crebre punctatum. abdominis apice maculaque pectoris parva nigris. Pedes nigri, femorum tibiarumque basi ferruginea.

Habitat Brasiliae provinciam Minas Geraës.

30. Rhip. limbatus. *Elongatus. ferrugineus. oculis, antennis basi excepta, vertice, thoracis macula discoidali ovata. elytris, pectoris maculis nonnullis pedibusque pro parte nigris. Long.* 3 — $3\frac{1}{2}$ *lin.*

*Rip limbatus. *Fabr. Ent. syst. II. pag.* 112, *no.* 11. — *Syst. El. II, pag.* 121, *no.* 19. — *Oliv. Ent. III,* 65, 5. *Pl.* 1, *fig.* 5. — *Say. Boston Journal of nat. hist. I, pag.* 189.

*Rip. discoideus. *Knoch i. lit.*

var. a. Vertice concolore.

var. b. Vertice pectoreque immaculatis, thoracis macula discoidali minuta. elytris litura baseos testacea.

var. c. Elytris testaceis. nigro-limbatis.

♂ ♀

Caput ovatum, subtilissime punctatum, glabrum, nitidum, ferrugineum, vertice convexo, leviter rotundato, nigro. Labrum et mandibulae rufae, hac apice nigrae; palpi ferruginei. Antennae nigrae, articulis duobus basalibus ferrugineis. Thorax latitudine dimidio longior, antrorsum attenuatus, lateribus subrectis, angulis posticis acutis, retrorsum versis humerosque amplectentibus, lobo scutellari triquetro, apice truncato; supra leviter convexus, obsolete punctatus, fere glaber, subnitidus, ferrugineus, macula magna discoidali ovata vel subrotunda nigra. Elytra basi thoracis latitudine illoque fere duplo longiora, retrorsum sensim attenuata, finem versus dehiscentia, apice acuminata: supra parum convexa, dorso deplanata, crebre punctata, pube parca obsita, nigra. Corpus subtus punctatum, subnitidum, laete ferrugineum, macula metathoracis magna laterali nigra. Pedes nigro-picei, femorum tibiarumque basi ferruginea.

Coloris variationes, quamquam numerosae, tamen minus conspicuae. Vertex atque pectus maculis nigris saepius carent, prothoracis macula interdum ad punctum minutum reducta apparet. Elytra colorem nigrum plus minusve cum testaceo commutare solent.

Habitat Americam septentrionalem, ubi frequentissimus esse videtur.

31. Rhip. variabilis. *Elongatus, niger, punctatus, thorace oblongo-quadrato, antrorsum vix attenuato, angulis posticis rufis: elytrorum margine externo, abdomine femoribusque rufescentibus. Long.* $3\frac{1}{2}$ — 4 *lin.*

var. a. Elytris rufis, suturae basi lituraque apicali nigricantibus.

♂

Praecedente longior, sed vix latior, thorace antrorsum vix attenuato ab affinibus speciebus bene distinctus. Caput orbiculare, subtilissime punctulatum, glabrum, nigrum, maculis duabus ad basin antennarum parvis rufis: vertice elevato, rotundato, fronte convexa. Mandibulae rufae, apice nigro; palpi picei. Antennae nigrae, articulo primo piceo. Thorax oblongo-quadratus, latitudine plus dimidio longior, angulis anticis rotundatis, posticis fortiter extrorsum productis, acutis, lobo scutellari triquetro, obtuso: supra parum convexus, punctatus, niger, subnitidus, angulis posticis, lobo scutellari margineque externo laete rufis. Elytra basi thoracis fere latitudine illoque plus duplo longiora, retrorsum leviter attenuata, finem versus dehiscentia, apice obtuso-acuminata: supra parum convexa, obsolete longitudinaliter impressa, sat fortiter punctata, nigra, subnitida, margine externo apicem versus rufescente. Corpus subtus punctatum, nigrum, metathoracis, margine postico abdomineque obscure rufis. Pedes nigri, femoribus dilute rufo-piceis.

Habitat Brasiliam.

32. Rhip. axillaris. *Elongatus, niger, glaber, subnitidus, capite, thorace, elytrorum macula humerali nec non abdomine laete rufis. Long.* $3\frac{2}{3}$ *lin.*

*Rip. rufipennis. *Fabr. i. lit. (Museum Lund-Sehestedt.)*

Caput subquadratum, disperse punctatum, rufum, nitidum, fronte deplanata, leviter impressa, vertice sat elevato, supra subtruncato. Labrum palpique ferruginei, mandibulae rufae, apice nigricantes. Oculi nigri. Antennae — —. Thorax latitudine longior, antrorsum leviter attenuatus, lateribus ultra medium usque fere rectis, angulis posticis extrorsum productis, acutis, lobo scutellari obtuse triquetro: supra parum convexus, apice densius quam basi, ubique vero fortiter punctatus, rufus, subnitidus. Elytra basi thorace paullo latiora, illoque plus duplo longiora, retrorsum sensim attenuata, post medium dehiscentia, apice obtuse acuminata: supra leviter convexa, humeris elevatis, profunde sed non confertim punctata, atra, subnitida, macula magna humerali marginem lateralem attingente rufa. Corpus subtus glabrum, subnitidum: pectore atro, crebre fortiterque punctato, abdomine laete rufo, subtilius punctato. Pedes nigri, femoribus tibiisque anticis basi rufescentibus; tarsorum posticorum articulis 2. et 3. cylindricis, non dilatatis.

Patria: Guinea.

33. Rhip. dispar. *Elongatus, niger, nitidus, antennarum basi palpisque dilute piceis: elytris cyaneo-micantibus. Long.* $2\frac{1}{2}$ — 4 *lin.*

♀ *Corpore subtus, capite, thorace femorumque basi laete rufis.*

var. a. ♀ *Elytris basi margineque externo tenuiter rufo-limbatis.*

var. b. ♀ *Elytris litura discoidali obscure rufa.*

♂ ♀

Caput suborbiculare, subtiliter punctulatum, glabrum, subnitidum, in mare nigrum, rufum in femina, vertice elevato, convexo, supra leviter rotundato. Mandibulae palpique in mare dilute picei, in femina rufi, apice nigro. Antennae nigrae, articulis duobus basalibus piceis. Thorax dimidio fere longior quam latior, antrorsum sensim attenuatus, lateribus ultra medium usque fere rectis, angulis posticis acutis, extrorsum subproductis, lobo scutellari obtuso-triquetro: supra leviter convexus, basi deplanatus ibique obsolete biimpressus, disperse et parum profunde punctatus, glaber, nitidus, niger in mare, in femina rufus. Elytra basi thorace paullo latiora illoque plus duplo longiora, retrorsum leviter attenuata, finem versus dehiscentia, apice obtuso-acuminata: supra parum convexa, longitudinaliter subsulcata, sat profunde sed non crebre punctata, atra, cyaneo-micantia. Corpus subtus subtilius punctatum, nitidum, nigrum in mare, in femina rufum. Pedes nigri, tibiarum posticarum basi, spinis unguiculisque rufis: interdum femora quoque postica basi rufa apparent.

Feminae elytra non raro basin marginemque externum vel lituram discoidalem rufam praebent.

Habitat Brasiliam.

34. Rhip. pusillus. *Elongatus, niger, subnitidus, antennarum basi palpisque testaceis, prothorace abdomineque rufis: elytris convexiusculis, rugoso-punctatis, griseo-pubescentibus. Long. $1\frac{3}{4}$ lin.*

♀

Mordellae pumilae fere longitudine aequalis, sed angustior, gracilior. Caput orbiculare, disperse subtilissimeque punctulatum, atrum, glabrum, nitidum, vertice minus elevato, supra rotundato. Os piceum, palpis testaceis. Antennae nigrae, basi testaceae. Thorax latitudine dimidio fere longior, antrorsum leviter attenuatus, angulis posticis acutis, retrorsum versis humerosque paullulum amplectentibus, lobo scutellari obtuso-triquetro: supra leviter convexus, crebre punctatus, niger, pubescens. Elytra basi thoracis latitudine illoque duplo longiora, lateribus retrorsum fortiter attenuata, apicem versus dehiscentia, satis convexa, fortiter rugoso-punctata, pube grisea vestita. Corpus subtus nigrum, punctatum, nitidum, abdomine laete rufo. Pedes picei, unguiculis spinisque tibiarum ferrugineis.

Unum tantum hujus speciei individuum, in India orientali captum, observavi.

c) Corpus abbreviatum, elytra retrorsum non attenuata, apice subtruncata.

35. Rhip. discicollis. *Oblongo-ovatus, rufo-ferrugineus, capite, antennis basi excepta pedibusque nigris, thoracis disco elytrisque atro-cyaneis. Long. $2\frac{1}{2}$ lin.*

♀

Caput suborbiculare, laeve, nigrum, nitidum, vertice parum elevato, supra rotundato. Mandibulae rufopiceae, palpi flavi. Antennae nigrae, articulis tribus basalibus flavis. Thorax subtriqueter, latitudine paullo longior, antrorsum fortiter attenuatus, lateribus leviter flexuosis, angulis posticis acutis, retrorsum versis, lobo scutellari obtuso-triquetro: supra parum convexus, subtiliter punctatus, glaber, nitidus, rufo-ferrugineus, macula discoidali atro-cyanea. Elytra basi thorace paullo angustiora, illoque plus dimidio longiora, lateribus medium versus paullo ampliata, retrorsum non attenuata, apice subtruncata, angulo interno rotundato: supra modice convexa, crebre subtiliterque punctata, atra, cyaneo-micantia. Corpus subtus laete rufum, punctatum, subnitidum. Pedes nigri, spinis unguiculisque ferrugineis.

Habitat Brasiliam.

36. Rhip. mutilatus. *Oblongo-ovatus, rufo-ferrugineus, nitidus, oculis, antennis basi excepta, pedibus elytrisque nigris. Long. 2 lin.*

♀

Praecedente paullo minor, colore capitis atque prothoracis bene distinctus. Caput fere transversum, laeve, rufum, nitidum, vertice vix elevato, fronte fortiter convexa. Mandibulae rufae, palpi testacei. Antennae nigrae, articulis duobus primis testaceis. Thorax latitudine longior, antrorsum attenuatus, lateribus flexuosis, angulis anticis late rotundatis, posticis acutis, retrorsum versis, lobo scutellari rotundato-triquetro: supra parum convexus, disperse subtiliterque punctatus, glaber, rufus, nitidus. Elytra basi thoracis latitudine illoque fere duplo longiora, lateribus paullo ampliata, retrorsum non attenuata, apice subtruncata, angulo interno rotundato: supra satis convexa, crebre subtiliterque punctata, atra, subnitida. Corpus subtus laete rufum, punctatum, subnitidum. Pedes nigri, spinis tibiarum unguiculisque testaceis.

Habitat Columbiam.

37. Rhip. 4maculatus. *Oblongo-ovatus, rufus, nitidus, capite, antennis basi excepta, prothoracis dimidio anteriore, elytrorum macula basali atque terminali pedibusque nigris. Long. 2 lin.*

var. a. Elytrorum maculis confluentibus, metathorace plaga magna nigra.

♂

Rhip. mutilato vix brevior, sed angustior. Caput suborbiculare, laeve, nigrum, nitidum, fronte convexa, vertice parum elevato, supra subtruncato. Mandibulae palpique rufo-picei. Antennae nigrae, articulis duobus basalibus testaceis. Thorax dimidio fere longior quam latior, antrorsum leviter attenuatus, lateribus fere rectis, angulis posticis acutis, retrorsum versis, lobo scutellari rotundato-triquetro: supra modice convexus, basi deplanatus, disperse subtiliterque punctatus, glaber, nitidus, rufus, fascia antica transversa, medio retrorsum longius producta, nigra. Elytra basi thoracis latitudine illoque dimidio longiora, lateribus pone medium paullulum ampliata, retrorsum non attenuata, apice oblique truncata, angulo interno rotundato: supra satis convexa, dense subtiliterque punctata, subopaca, pube grisea parce obsita, rufa, macula baseos transversa apicisque ovali nigris. Corpus subtus rufum, punctatum, parce pubescens, metathorace macula vel parte anteriore saepius nigra. Pedes nigri, femorum posticorum apice, tibiarum spinis unguiculisque rufis.

In var. a. maculae elytrorum nigrae ejusmodi confluunt, ut vitta totam fere latitudinem elytrorum occupans conformetur.

Habitat insulam Cubam.

38. Rhip. vittatus. *Oblongo-ovatus, flavus, capite, antennis basi excepta, thoracis vitta media postice abbreviata, pedibus elytrisque nigris: his vitta abbreviata flava. Long.* $1\frac{3}{4}$ *— 2 lin.*

Rhip. vittatus. **Erichs. Consp. Insect. Coleopt. Peruan. pag.* 123.

♀

Praecedente paullo minor, praecipue angustior. Caput fere transversum, subtilissime punctatum, nigrum, nitidum, maculis duabus frontalibus ferrugineis, interdum obsoletis: vertice parum elevato, convexo, supra fere truncato. Mandibulae ferrugineae, apice nigricantes; palpi testacei. Antennae nigro-fuscae, articulis tribus primis testaceis. Thorax subtriqueter, latitudine longior, lateribus flexuosis, angulis posticis acutis, extrorsum versis, lobo scutellari rotundato-triquetro: supra parum convexus, disco fere deplanatus, crebre sed obsolete punctatus, saturate flavus, vitta media retrorsum dilatata posticeque abbreviata nec non lobi scutellaris apice nigris. Elytra basi thorace paullo angustiora, lateribus medium versus subampliata, retrorsum non attenuata, apice oblique truncata: supra modice convexa, crebre punctata, pube grisea tenuiter vestita, fusco-nigra, regione scutellari vittaque lata post medium abbreviata flavis. Corpus subtus flavum, punctatum, tenuiter pubescens, pectore interdum nigricante. Pedes nigri vel picei, spinis tibiarum unguiculisque flavis.

Habitat rempublicam Peruanam.

Species mihi ignotae:

39. Rhip. punctatus. *„Thorace testaceo, nigro-punctato (punctis 4. 1. 2.), elytris nigris, margine testaceo.“*

Ripiphorus punctatus. Fabr. Ent. syst. II, pag. 111. *no.* 7. — *Syst. El. II, pag.* 120. *no.* 11.

Habitat Cayennae.

40. Rhip. 6maculatus. *„Ater, thorace ferrugineo, elytris testaceis, maculis tribus nigris, altera baseos, altera in medio, tertia apicis.“*

Ripiphorus 6maculatus. Fabr. Ent. syst. II, pag. 111, *no.* 8. — *Syst. El. II, pag.* 120, *no.* 13.

Habitat in America.

ADDENDUM.


pag. 8. Genus Pelecotoma. Antennae feminae, cujus specimen nuper observationi patebat, aeque ac in mare articulis 11 compositae sunt: articuli tres primi simplices, primus elongatus, secundus et tertius breves, ceteri serrati apparent. Specimen igitur ab Ill. Fischer descriptum sine dubio antennas praebuit mutilatas

EXPLICATIO TABULAE.

a. Labrum cum mandibulis. b. Maxilla. c. Labium. d. Unguiculi.

Fig. 1. Trigonodera succincta.
Fig. 2. Geoscopus murinus.
Fig. 3. Pelecotoma fennica.
Fig. 4. Clinops badius.
Fig. 5. Ancholaemus lyciformis.
Fig. 6. Euctenia sericea.
Fig. 7. Ptilophorus Dufourii.
Fig. 8. Rhipidius blattarum. (Caput a facie visum.)
Fig. 9. Myodites subdipterus.
Fig. 10. Metoecus paradoxus.
Fig. 11. Rhipiphorus bimaculatus.
Fig. 11.*a* Rhip. spinipennis. (Maxilla.)

Impressit A. W. Schade





INDEX.